

NAM ETIAM QUOD DISCERE SUPERVACUUM EST, PRODEST COGNOSCERE
BIBLIOTH. D RIS J.B. HOLZINGER

D. JOANNIS BARTHOLOMÆI ADAMI BERINGER,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS IN ALMA EOO-FRANCICA WIRCEBURGENSIUM UNIVERSITATE PROFESSORIS PUBL. ORDIN. FACULT. MEDICÆ ASSESSORIS, REVERENDISSIMI ET CELSISSIMI PRINCIPIS WIRCEBURGENSIS CONSILIARII, ET ARCHIATRI, AULÆ, NEC NON PRINCIPALIS SEMINARII DD. NOBILIUM ET CLERICORUM, AC MAGNI HOSPITALIS JULIANAEI PRIMO LOCO MEDICI,

LITHOGRAPHIA WIRCEBURGENSIS,

DUCENTIS LAPIDUM FIGURATORUM,

A

POTIORI, INSECTIFORMIUM,

PRODIGIOSIS IMAGINIBUS

EXORNATA.

EDITIO SECUNDA.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ.

APUD TOBIAM GOEBHARDT, BIBLIOPOLAM BAMBERGENSEM ET WIRCEBURGENSEM. 1767.

Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of
DOROTHY SOHL and
NORMAN SOHL, JR.
in Memory of
DR. NORMAN SOHL

PROŒMIUM.

Curioſi rerum naturalium vitæ & ſensûs expertium ſcrutatores in duas potiſſimùm claſſes dividi poſſe videntur; quorum altera inferioris mundi aſpectabilis pertæſa, toto vultu & animo in cœlum abripitur, ſiderum, aliorúmque corporum cœleſtium motibus & indoli unicè intenta: Altera verò eorum, qui fixis in ſolo magis propinquo oculis, tantam rerum admirandarum copiam terrâ reconditam, maríque advectam ſedulâ inveſtigatione reperiunt, ut non minore jucunditate & fructu iis conſiderandis ſe ſe impendant, quàm in obſervandis ſtellarum fixarum ac errantium curſibus, conjunctionibus, oppoſitionibúsque Aſtrologi occupentur. Præclari utrorúmque conatus, præter ingentem, quam orbi litterato æquè ac Politico utilitatem afferunt, hanc quoque præ cæteris laudem merentur, quod velut facundi Operum Divinorum Interpretes, ſummam Opificis rerum potentiam & ſapientiam in tàm ſtupendis effectibus ſole clariùs elucentem, omnibus adorandam & deprædicandam (qui Scientiæ Naturalis præcipuus finis eſt) exponant.

Quodſi tamen inſtituenda inter partem utramque eſſet comparatio, neſcio ſanè, an Aſtrologis major à ſublimi occupatione ſuâ accedat commendatio, quàm in eos redundet, qui terræ mariúmque ſinus rimati, manifeſtius Divinæ laudis argumentum ſolerti induſtriâ indè depromunt.

Præterquam enim,quod immenſa cœlorum à terris diſtantia, nebuloſa aëris intermedii phœnomena, ſiderum ſub aſpectus nunquam venientium abſentia, humani visûs imbecillitas, labores & ſucceſſus in ſtudio arduo, inter inſomnes noctes, ſub Jove frigido penè inſuperabiles reddant, ſæpiúsque ſperato eventu deſtitutos, accedit, quod curioſus ſciendi & futura dignoſcendi ardor ad illicitas nonnunquam divinationes, ad ſcrutanda Divinæ Providentiæ arcana conſilia, ad libertatem humanam fatalibus influxibus ſubjiciendam, ad ſecuturos eventus fortuito judicio & inani non rarò vaticinio conjiciendos periculosè inducat, habet hoc ſuâpte naturâ cœleſtium corporum pulchritudo, ut ſupremam Conditoris ſui Majeſtatem nativis ſplendoribus citra commendationum elogia prodat, & tot linguis, quot radiis eloquatur.

Illi verò, qui Naturæ, ut ita dicam, inferioris & terreæ arcana detegunt, palpant manibus, propiùs admotis oculis penitiùs inſpiciunt, & ſæpiùs examine tantùm non Anatomico & Chymico, ſed & cæteris Philoſophiæ experimentalis adminiculis ſcrutantur, illi, inquam, Maximum in parvis Deum, in humilibus Altiſſimum, in vilibus Pretioſum eò majore hominum admiratione citra ſplendidæ curioſitatis diſcrimen proponunt, quò magis Myſteria hæc rudibus aut parùm curioſis abſcondita neſciebantur.

Horum numero jure merito accenſendos exiſtimo Lithologos, quo nomine minimè tamen intellectos velim gemmarios tantùm, qui guttam coloratam & in illuſtrem lapidem concretam ſummo ſtudio & pari pretio conquirunt, ad majus forſan opum & Gazophylacii, quàm eruditionis incrementum: Lithologos intelligo, qui Naturalis hiſtoriæ ſacratiori ardore ſuccenſi, nullâ materiæ nobilioris præ ignobili habitâ ratione, ſtupendam lapidum figuratorum ſupellectilem diverſiſſimorum corporum figuris ſupra Phidiæ aut Apellis artem inſignitam, vel ex intimo terræ ſinu effodiunt, aut in extima ſoli facie repertos, at neglectos, attonito ad rei novitatem & elegantiam orbi

DSI

oſten-

oſtentant. Inveniunt in altiſſimorum montium jugis, in cavernis rupium, in ſtratis lapideis, in profundis fodinarum receſſibus, in agrorum ſulcis, aut viarum præruptarum hiatibus, in medio Germaniæ, tantis ab Oceano intervallis diſſitæ, teſtaceorum innumerabiles ſpecies, coralliorum ramunculos, piſcium & monſtrorum marinorum, aut belluarum, quas ſola Aſia vel Africa parit, induratas in ſaxa reliquias. Producunt deſcriptas in ſolidiſſimis petrarum fiſſilium corticibus, pratorum, nemorum, Arcium, urbium, florum, plantarum, ac brutorum animantium imagines, ſuis quandoque coloribus diſcretas. Nec imagines ſolùm, ſed ipſa piſcium, altilium, quadrupedum, ac hominum etiam & denſiſſimarum arborum ac fruticum corpora, ceu objecto Meduſæ aut Gorgonis capite in lapidem congelata demonſtrant. Nova hæc & prioribus ſæculis incognita naturæ, citra figmentum, Metamorphoſis eſt, in quâ non Daphnides lauri, non Narciſſi aut Hyacinthi florum, non alii aliorum corporum formas ingenioſo Poëtarum commento induunt, ſed quidquid in triplici ſuo Natura regno ſpecioſum protulit, ſpecifico ſalis, terræ, ſuccíque petrifici glutine in lapidem tranſivit, inverſâ tandem Pyrrhæ & Deucalionis fabulâ, ubi non rejectus poſt tergum lapis in hominem, ſed hominis aut animantis cadaver vel ſceleton in rupem ſolidatur.

Vix ulla Germaniæ Provincia eſt, ut exteras regiones ſilentio prætercam, quam Lithophilorum indefeſſa induſtria non detectis ejusmodi naturæ petrificæ prodigiis nobilitavit. Auſtria, Sileſia, Carinthia, Suevia, Helvetia, Bavaria, Thuringia, Wirtembergia, Haſſia, Miſnia, Saxonia, Noricum, Weſtphalia, & complures in recenſitis Provinciis agri, Specus, Montes, fodinæ feraces ſunt figuratorum lapidum, campúmque hodiedum uberrimum aperiunt, Eruditorum ingeniis in explicandâ tot memorabilium geneſi exercendis & fatigandis. In ſolâ Franconiâ aut agro ſaltem Herbipolenſi, præter nativam ſoli præſtantiſſimi fertilitatem, hæc ad præſentem diem felicitas deſi-

 derari

derari videbatur, cum tamen in reliquis omnibus liberalis in illam natura aut potiùs naturæ Conditor Deus pleniſſimâ Manu effuderit opes ſuas. Hic vina è collibus fluunt generoſiſſima tantâ abundantiâ, ut, ſi deficientibus undis Mœnus areſceret, ſiccum alveum affuſo dulci & copioſo nectare Bacchus occuparet: Hic lætæ ſegetes inaurant agros, & in pagis Oxovienſi & Schweinfurtenſi non Patriæ ſolùm, ſed & exteris regionibus ſuffecturum inſtruunt granarium: Pinguia paſcua frequentes nutriunt gregum armentorúmque exercitus; rivi & flumina placido per valles curſu labentia, ut undis, ſic piſcibus abundant; Animantur feris nemora, hîc ſalinæ ſcaturiunt, ebulliunt ſalutiferi & medicati fontes, alibi in pratis ſilvíſque Botanicæ uberrima, rariórque meſſis ſuccreſcit, quæ aliáque humanis uſibus commodíſque neceſſaria, licet cœli benignitas, fœcunditas glebæ, aërísque moderati temperies indigenis pro vitâ ad luxum usque & opulentiam ſuſtentandâ largiſſimè ſuppeditet, Litteratis tamen, & Secretiorum, ſacratiorúmque Phyſices diſciplinarum Cultoribus erudita deficiebant pabula, quæ oculis, animíſque libarent ipſi, & jucundo Doctorum commercio exteris libanda propinârent. Naturam proinde in cæteris Franconiæ beneficam laudantes, in foſſilium portentis parcæ tenacitatis accuſabant.

Colligitur equidem & in vitiferis, & in aſperis incultíſq; montibus, in lapidicinis, Cornuum Ammonis, cochlearum, concharúmque maritimarum & fluviatilium petrificatarum tanta frequentia, ut integri etiam parietes ſepium locô vinetis circumſtrui ſoliti, non aliis è Saxis coagmententur, niſi quæ denſi conchilium lapideſcentium cortices incruſtârunt; Quæ tamen ceu pluribus terris communia, & vix non ubivis locorum obvia variorúmque ſcriptorum ſumptu ac ſtudio, ære & typis vulgata, novo examine aut ſedulâ conquiſitione minùs digna cenſui: Rariora verò & ſelectiora, cum in Franconiâ non invenirem, vel prece vel pretio, vel Amicorum & Fautorum

bene-

benevolentiâ ex omnibus fermè Europæ plagis comparata, intuli lithophylacio meo, peregrinis interim dives mercibus, donec domeſticas (quod ſeriùs ocyus futurum eſſe præſagâ mente ominabar) ipſa mihi Patria ſubminiſtraret. Nec ſpem fefellit eventus: ſingulari enim Divinæ Providentiæ nutu, quam flexo poplite gratus adoro, mons, frequenter mihi tritus & aditus, ſed tam exacto ſcrutinio non obſervatus, theſaurum primò in ſuperficie ſparſim ac temerè projectum, mox adhibitâ foſſorum operâ intimiùs etiam reconditum aperuit, quo uno, ceu pleno copiæ cornu ea omnia continentur, quæ inter aliarum Provinciarum fodinas, cavernas, & receptacula Natura partita eſt. Hîc ex omni Naturæ regno animali præcipuè & vegetabili, aviculæ paſſis & contractis alis, papiliones, perlæ, libellæ, ſcarabæi volantes & repentes, apes & veſpæ vel inſidentes floribus, vel ſuis domunculis ac nidulis inhærentes, crabrones, muſcæ, culices, teſtudines marinæ & fluviatiles, piſces marini & fluviatiles, lumbrici, ſerpentes, hirudines maritimæ & paludoſæ, pediculi œſtríque, marini cancri, ſive Aſtaci aquatici, paguri, ranæ, bufones, lacertæ, erucæ, ſcorpiones, araneæ, grylli, formicæ, locuſtæ, forbicines, limaces, cochleæ domiportæ, cum ſexcentis aliis exoticis rariſſimíſque inſectorum planè peregrinorum figuris; hîc nautili, cornua Ammonis, ſtellæ marinæ diverſiſſimarum ſed lectiſſimarum ſpecierum, cochleæ, turbines, ſtrombi, buccinitæ, pectines, pectunculitæ, aliæque nobis hucusque incognitæ teſtacearum figuræ: Hîc folia, flores, plantæ, herbæque integræ cum- & ſinè radicibus, cum- & ſinè floribus: Hîc Solis & Lunæ, ſtellarum & cometarum caudato ſyrmate radiantium illuſtres imagines: Hîc denique (quod ceu ſupremum prodigium ſtupentes venerabantur mecum ſpectatores ad unum omnes) tabellæ nitidiſſimæ characteribus Latinis, Arabicis, Hebraicis, ac una alteráve reliquis nobilior, ineffabili Dei Nomine Jehova inſignitæ, locupletiſſimum totius Germaniæ Lithophylacium tot ſæculis abſconditum,

meâ demum curâ, ac inveſtigatione continuâ Propitio Numine repertum, & ſumptu ac labore non modico reſeratum eſſe demonſtrârunt.

Neſcio, an Viro Scientiæ naturalis ſtudioſo ſpectaculum jucundiùs incurrere in oculos unquam potuerit, cum præprimis figuræ omnes non ductis ſolùm extremis lineis, aut umbrâ pictoriâ deſignatæ, ſed formâ ſummè ſpectabili, ceu opere plaſtico aut ſculptorio elevatæ, ita emineant, ut juſtam ſuſpicandi anſam habere ſe exiſtimaverint, Eruditi plerique ac ſummæ Dignitatis ac litteraturæ Viri, latere ſub inopinatis & inſolitis Myſteriis impoſturam aliquam, fictitios eſſe lapides, occulto fraudis avaræ artificio contextos, &, quod in re nummariâ fieri non raro aſſolet, falſariorum dolis ſuppoſitos. Meticuloſam hanc ſolicitudinem, ut ex eorum mentibus depellerem, comites duxi amœni itineris, adhibui laboris non jucundi minùs, quàm curioſi, nec in molli gleba difficilis ſocios, ubi ſuis ipſimet manibus portentoſa hæc rerum naturalium ſymbola effoderunt. Quis inde plauſus! quàm communis aſſenſus omnium & approbatio, Lector ipſe judicabis: liquidiſſimum verò gaudium, quo ſub prima theſauri hujus inventi exordia perfuſus ſum, novâ ſolatii non mediocris acceſſione ex teſtium omni fide digniſſimorum præſentiâ, eſt cumulatum. Sic demum diuturnam multorum ſæculorum moram, quâ terrea hæc cimelia, luteis, limoſis, margaceis, arenoſiſque montis inculti ſordibus tecta & ſepulta delituerunt, manifeſtavit ſerior Dies novitate, penè dixerim inſolenti, & raritate Depoſiti, expenſas pariter meas, curáſque pervigiles irrito per annos non paucos ſucceſſu ſuſceptas, magno fœnore compenſavit.

Quapropter Reipublicæ Litterariæ gratiſſimum me præſtiturum obſequium exiſtimavi, ſi ea quæ Divina Bonitas, ceu diuturnæ inquiſitionis ſtudiique laborioſi non vile præmium in manus dedit, ex adytis Muſæi domeſtici producta, orbi ſpectanda proponerem, atque de objecto novo, Scientiæ Naturalis Cultoribus antehac ignoto, non

tam

tam ſententiam meam dicerem, quam ſapientiorum ſenſus & judicia poſt ſedulam lapidearum imaginum contemplationem & indaginem deprompta expectarem.

Quidquid enim de figuratorum lapidum origine ex Diluvii Noëtici reliquiis, ex ſucci petrifici & ſalium terreſtrium mirificâ vi, ex Archæi ſubterranei, aut Panſpermiæ, ſivè auræ ſeminalis virtute ſeminali & plaſticâ, ex fortuitis naturæ ludentis erroribus diſſeritur, illis neutiquam convenire videtur, quæ mons noſter prodigioſus protulit; Fortè in ætatem hanc ultimam ſero partu dilata, quâ Lithologiæ arcana innumeris commentariis & lucubrationibus penitùs detecta ac ita expoſita credebantur, ut novi nihil citra delicati palati offenſam obtrudi poſſet. Ecce autem novam diſcendi docendíque materiem, & in difficultatibus nondum penitùs ſublatis, vel exhauſtis novum diſceptandi argumentum. Scivimus ſimiam Naturæ Artem: in præſentibus síntne lapides noſtri Artis, & aliis ſic dictæ Naturæ imitatricis opus, inveſtigabimus: Quidquid enim in plantis aut ſenſibilibus aut teſtaceis finxit, & aliàs animavit, iſta modo phrygio fermè vel ſculptorio opere, veluti pulchras, ſed exanimes viventium prototyporum Ideas & Ectypa in luto ac lapide efformâſſe videtur: Quin etiam limites egreſſa ſuos, ſcriptoriam profeſſa, variarum ſacræ potiſſimum linguæ characteres ad exactiſſimas Orthographiæ Hebraicæ regulas ita exſculpſit, ut litteræ in ſenſum collectæ, ex peritorum Interpretum judicio, Sanctiſſimum Dei O: M: Nomen, Potentiam, Vires, Sapientiam, diſertis Titulis extollant, & vel ſic unicum forſan tam prodigioſorum lapidum Authorem & Artificem manifeſtent.

Inſpicite Tabulas, quas ut ederem, præter indefeſſum Publico ſerviendi ſtudium, præter vota & deſideria, & veſtra & Amicorum plurium, nativus Patriæ FRANCONICÆ Amor fortibus ſtimulis incitavit, cui ex figuratis montis antea obſcuri partubus non minor gloria, quàm ex vitiferorum collium dulci maſſico promanabit, nováq;

Agro Herbipolenſi fama etiam ex hoc, quantumvis ſicco Lapide ſuccreſcet.

Acceſſit REVERENDISSIMI & CELSISSIMI PRINCIPIS Noſtri, quæ pro ſummo mihi Imperio eſt, Clementiſſima Approbatio. Quid enim morarer diutiùs offerre ea conſpectui publico, quæ PRINCEPS Sacrarum ac profanarum Scientiarum Apparatu Inſtructiſſimus, digna luce, ſupremus Arbiter Suo Calculo judicavit, & Clementiſſimæ Voluntatis ſuæ ſignificatione, ut ederem, approbavit.

Abſcondit tot præterlapſis ſæculis FRANCONIA Noſtra, quaſi moræ impatiens, & Tanti PRÆSULIS ac DUCIS expectatione ſuſpenſa, ſtupenda in lapidibus ſuis miracula, & nuper eo ipſo tempore, quo REVERENDISSIMA CELSITUDO Sua debitum à ſubditis devotiſſimis Herbipoli homagium inter continuatam totius Patriæ gratulantis lætitiam exciperet, ſingulari Cœli favore, quaſi porrectâ mihi ad Lithophylacium Franconicum clavi detexit, hoc ipſo pretioſo ab arcanâ origine Xenio Litteratiſſimo PRINCIPI ac litteratorum Fautori Maximo & Munificentiſſimo, juratæ cum reliquis indigenis fidei obſequium præſtitura. His characteribus primum auſpicati Regiminis Annum, felicius, quàm Conſulares olim Tabulas aut Dypticha notis aureis candidíſque Romana ſive in Occidente, ſive in Oriente Antiquitas inſignivit, in his poſuit, ſparsítque per Orbem ære perennius, Principalis Gloriæ Monumentum; Sed & incitamentum efficax Medicinæ Cultoribus, Naturæ Myſteria pari Conſtantiâ ac Sedulitate, cum pari ſucceſsûs optati ſpe alacriter proſequendi.

Eſt hæc Inclitæ Facultatis Medicæ, quod citra invidiam dixero, eximia Laus & Prærogativa, quod ex ipſa inſtituti ac ſtudiorum ſuorum ratione in patenti totius univerſi Pantheo, Naturæ Myſtæ, Miniſtri & Interpretes ſint, ac nominentur: Nec ex aliarum Diſciplinarum Sectatiorbus facilè reperies, qui Naturam coluerint ſanctiùs, perti-

pertinacioréque ſolertiâ ſcrutati, pluribus ſcriptis illuſtrârint, ac Medici, qui vel ideo honoratiſſimo Phyſicorum Titulo, antonomaſticè, ut ita loquar, appellantur.

Quotquot igitur ad hujus Aram Deæ litâſtis Medicinæ Candidati, fanum vobis & fodina nova reſerata eſt, preſſa, imo effoſsâ humo altè impreſſa ſunt veſtigia; multa prior ætas tulit: plura præſens detexit, nec pauciora vobis ſecutura inter infinitas regni Naturæ opes reſervat. Obſecundate vocationi veſtræ, & operam juxta Majorum exempla date, ſubminiſtrabunt neceſſarios ſumptus, aut Amor, aut fortunæ veſtræ, aut Mecœnatum liberalitas, Deus verò, ad Nominis ſui Gloriam ex mirandis Manuum ſuarum Operibus propagandam, optatam, quam mihi ſupremæ Majeſtati devotiſſimus gratulor, & vobis precor, in ſucceſſu felicitatem.

CAPUT PRIMUM.

Refellitur opinio eorum, qui Lithologiam, ceu ſtudium inutile & vanum inſectantur, tum ratione, tum exemplo Authorum celeberrimorum, tàm Antiquorum, quàm Recentiorum, qui hanc Scientiæ Naturalis partem tractârunt, & editis ſcriptis illuſtrârunt.

JUſta Virorum gravium querela eſt, noſtrâ ætate, litteris & moribus ſupra rudium ſæculorum aſperitatem excultâ, reperiri homines, omnis politioris litteraturæ oſores tàm acerbos, ut eas ſolùm artes, ſcientiásque civitate donari, inter Academiarum porticus recipi, & tractari velint, quæ *pani lucrando* deſerviunt, cæteras verò ceu *vanas* & *inutiles* perpetuo exilio mulctandas. Harum in numero primo fermè loco ponunt Rerum Naturalium Cognitionem, ejúsque nobiliſſimam partem, quam *Lithologiam* dicimus, virgâ cenſoriâ præ reliquis perſtrictam, inter otioſa ingeniorum ludibria rejiciunt, & ex orbe erudito judicant eliminandam. *Cui uſui*, inquiunt, lapillos quosdam & figuratos ſilices, montium, fluminúmq; quisquilias, repertas caſu fortuito inter luteos ſabuli, aut ſaburræ marinæ, vel terreſtris aggeres, animantium, teſtaceorum aut vegetabilium icunculas irretortâ mente & oculo contemplari, multo labore & pretio conquiſitas examinare, vaſtis quandóque voluminibus deſcribere, deſcriptas, ac æneis inſuper tabulis inciſas in orbem ſpargere, & ſpiſſis argumenti inutilis codicibus, cum temporis, & præſtantiorum ſtudiorum diſpendio, litteratorum ingenia, nucibus hujusmodi & vanis crepundiis pueriliter irretita, fatigare. Quid hoc eſt aliud, quàm ſepoſitis Imperii curis, captare muſcas, aut ex collectis bellicoſiſſimi

Exer-

Exercitûs manu conchiliis, in glorioſæ expeditionis præmium, adornare triumphum teſtaceum, aut fanum conſtruere, cujus Myſta Phyſicus, Idola ſaxeæ beſtiolarum imagines, Incenſum & victimæ, vires, ingenia, & ſumptus inſanientium Doctorum. Piſcari uniones, pretioſos coralliorum frutices ex imo Mari decerpere, gemmas, metalla, ac marmora eruere ex viſceribus montium, aut ab extremis mundi oris, per immenſa oceani & peregrinæ telluris intervalla, per mille tempeſtates & diſcrimina nautico Adminiculo advehere, hoc opus, hic labor eſt, Virorum Principum expenſis, magnarum mentium curis & induſtria dignus, quo locupletantur æraria, creſcunt privatorum opes, utilitati publici conſulitur, & acti laboris non pœnitendi fructus colliguntur. Ita curvæ in terras animæ, quas ſola cupiditas ſacrâ & inſatiabili auri lucellíq; fame excruciat, ſublimiorum ſcientiarum pretium & præſtantiam ex ſolo proventu & commodo, contra omnes Philoſophiæ ſanioris regulas & præcepta metiuntur.

Ea enim jam olim fuit Sapientium Ethnicorum laudata opinio, rectæ rationi conveniens, & Chriſtianæ legis ſanctitate confirmata, illorum, qui vel Patresfamilias rem privatam, vel publicam, ut Magiſtratus & Princeps ſaluberiter adminiſtrant, primas curas conatúsque eò potiſſimùm collimare, ut omnia, quæ ad ſubjectorum vitam, fortunas, ſtatúmque conſervandum, tuendum & ſuſtentandum, prudenter judicaverint, convenientibus ad hunc ſcopum adjumentis ſedulò procurent: Quodſi verò liberalior impenſæ ſolicitudini, Deo laboribus benedicente, proventus reſpondeat, ſi accreſcant opes, repleantur arcæ, & gazophylacia locupletentur, animum neutiquam affluentibus divitiis apponendum, ut poſſideri ab ipſis potiùs, quàm eas poſſidere cenſeamur. Mens quippe humana ad finem altiorem condita eſt, non ad ſaginam abdominis, ad luxum, ad delitias corporum, aut, quâ nulla curarum ſtultior excogitari poteſt, ad pallidi æris, aut fulvæ

glebæ cuſtodiam, quàm Draconibus & monſtris, non Viris fortibus Mythologi inter fabulas committebant. Avara cupiditas eſt, id ſolùm ſectari, quod non tam uſum, quàm uſuram ſapit: Servile, mercenarii, non animi liberalis & ingenui conſilium, culinaria quæſtuoſæ œconomiæ machinatio, Lycæa Sapientum in Mercatorum tabernas, & mechanicorum officinas convertere, & pulpita Eruditorum mutare in menſas Numulariorum. Non hi *Boni Veri* ſinceram indolem perſpectam, habent, quod non ſola utilitas, ſed jucunda honeſtas, & honeſta jucunditas amabile facit. Unde Bonarum Artium ſtudioſi minimè vocantur, ſordida lucri, & deſideratæ utilitatis mancipia, ſed nobiles animæ, quæ ad puriſſimam, quæ ex ſcientia naſcitur, voluptatem percipiendam, ipsâ rerum ſcibilium & operæ laudabilis honeſtate inducti, Vires, & non raró ſumptus ſuos impendunt.

Eſt honeſtas totius Ethicæ Chriſtianæ Cos, & omnium virtutum moralium norma ac anima, ſine quâ in vitia tranſeunt vel aperta, vel larvatæ virtutis involucro palliata. Quis autem actionis humanæ finis honeſtior excogitari poteſt, illo, quo ex mirandis naturæ effectibus veluti per totidem gradus ad agnoſcendam Creatoris potentiam aſcendimus, & elevamur? Maxima ſunt Authoris Naturæ miracula, ſolem oriri indies, & occidere, & cum reliquo ſiderum & cœlorum, quibus continentur, ambitu, ordinatiſſimo & nunquam perturbato curſu terræ circumvolvi; Terram ex minimis diverſiſſimísque ſementibus, herbas, plantas, flores, fructus, ſilvásque vaſtiſſimas non deficiente fœcunditate producere, ſtatas eſſe temporum & tempeſtatum alternantium vices, ire & redire, fontibus nunquam areſcentibus flumina, innumerarum animantium ſpecies terrâ maríque, ac inter regiones aëreas conſervari & propagari, & id genus ſexcenta alia, quæ cum obvia ſint, & quotidiana, non apud ingratum ſolummodò vulgus, ſed apud peritiores etiam, at Dei

oblitos,

oblitos, ex ſuâ frequentiâ ita viluerunt, ut inter miranda Conditoris opera ægrè admodùm numerentur. Damnabili huic mortalium vecordiæ remedium allatura Dei Sapientia, ex abſconditis potentiæ ſuæ theſauris, & incognitis terræ Gazophylaciis, Virorum proborum & ſolertium ſtudio, nova indies Naturæ Dædalæ prodigia vel portenta in lucem protrahit, quibus ineſcata humana curioſitas, dum ſingula perluſtrat, & inſolitâ Novitate perculsâ, attonitis oculis animíſque contemplatur, ſenſim ſupra ſe ipſam erigitur, & tandem ad Creatoris, Cujus effectricem Dexteram in ſimilium geneſi agnoſcere cogitur, Thavmaturgam virtutem deprædicandam & adorandam honeſtiſſimo & ſanctiſſimo aſſultu exſurgit. Horum è numero Lapides figuratos eſſe, ſi non omnes, complures ſaltem, atquè eos præcipuè, quos Franconia noſtra, & Ager Herbipolenſis parit, tantò faciliùs palam fiet, quò difficiliorem explicatu eorundem originem, & humanis rationibus altiorem eſſe, in ipſo decurſu præſentis Diſſertationis demonſtrabimus.

Jucunditatem ſtudii Lithologici ſi deſideres, pictoriam & ſculptoriam, nobiliſſimas Artes attende: Harum beneficio rerum emortuarum & præteritarum imagines reſtituuntur, & vix non immortalitate donantur, oblivioſo tempori ſubducuntur, heroum, parentum, amicorum, & charorum vultus, ac ſuis è cineribus à putredine vindicantur, eriguntur Virtuti & Meritis trophæa & coloſſi, horti, palatia, portæ & viæ publicæ ad amœniſſimam oblectationem exornantur. Simili artificio operans Natura utitur, & licet inter receſſus & cavernas montium nec coloſſæum tibi aut Pantheon aperiat, lectiſſimam tamen Iconolithorum congeriem nil tale ſæpiùs opinanti offert, quam nec inter Muſaica ævi prioris & artis penè extinctæ opera, nec inter hortenſium cryptarum fictiles cameras, nec inter pyramidum Ægyptiarum hieroglyphicas ſculpturas reperies. Hîc forma mirabilis rudibus ſaxis pretium

D facit,

facit, & tantum quidem, ut pari ſolicitudine inferantur, non privatorum tantum, ſed & Regum ac Principum Technico-thecis, quâ gemmæ & uniones coronis & annulis inſeruntur. Horum conſiderationi ſolutos triſtioribus curis, aut profundis ſpeculationibus animos litterati admovent, digerunt in claſſes, in diverſarum ſpecierum ſeries ordinant, redigunt in pulpitorum & ſacratiorum ſcriniorum ſtrata, & totius Naturæ regnum ſaxeis imaginibus deſcriptum, jucundiore ſpectaculo ob oculos ponunt, quàm detectas terrarum antea incognitarum Provincias ſuis in tabulis Geographi depingant. His illecebris paſcitur eruditio, quæ, ſi ad Miſoſophorum palatum non faciant, non Scientiæ Naturalis, quam honeſtiſſimam jucundiſſimámque diximus, ſed genii & indolis abjectæ, nec ad recondita Naturæ myſteria indaganda natæ, vel idoneæ vitio tribuant, oportet.

Longè alius Virorum per omnem Europam præſtantiſſimorum ſenſus eſt, qui in aulis Magnatum, in Curiis & Magiſtratibus Rerum publicarum, in ſublimioribus celeberrimarum Academiarum Subſelliis, Sapientiâ, primis honoribus & opibus florentes, tanto in amore & pretio non Phyſiologiæ ſolùm generalis, ſed Lithologiæ, de quâ hìc agimus, ſtudium habuerunt, ut ſuſceptis longinquis itineribus, non minore labore, quàm ſumptu, incredibili alacritate & conſtantiâ omnes, quas incolebant, aut aliundè ſibi commendatas acceperant, Regionum latebras excuſſerint, ut petroſa Naturæ arcanæ miracula eruerent, eruta communicarent publico, & vaſtis commentariis illuſtrarent. Omiſſis Plinio aliíſque Antiquioribus, quorum ſolertiam Recentiorum felicior induſtria multùm ſuperavit, juvat hîc brevem Lithographorum, quos inter cæteros Doctorum partus in Muſæo domeſtico obvios habeo, Synopſin ordine alphabetico attexere, ut vel ſola Tantorum Virorum Nomina, numularium illud & rude Academicorum vulgus ignaviæ condemnent, qui Lithologiæ ſtudium tanquam inutile explodunt.

Agricola *Georgius* de re metallicâ, de Naturâ eorum, quæ è terra profluunt, & de foſſilibus.
Aldrovandus *Ulyſſes*, de Simiâ in lapide.
Aſſaltus *Petrus*, in notis ad Metallo-thecam Vaticanam Mercati.
Bajerus *Joannes Jacobus*, de Orychtographiâ Noricâ.
Balbinus *Boheslaus*, in Miſcellaneis Regni Bohemiæ.
Bauhinus *Joannes*, de Fonte & Balneo admirabili Bollenſi.
Bauſchius *Carolus*, de unicornu foſſili.
Becanus *Goropius*, in originibus Antwerpiæ.
Behr *Hennigius*, in Herciniâ curiosâ.
Bel *Mathias*, in Hungariâ antiquâ & novâ.
Boccone *Paulus*, Recherches & obſervations Naturelles.
Büttnerus *Daniel Sigismundus*, in Tractatu, cui titulus, Rudera Diluvii teſtes, & in Diſſertatione de Corallis foſſilibus.
Columna *Fabius* de Purpurâ.
Coringius de antiquo ſtatu Helmſtadii.
Crollius de Signaturis.
Erhard *Balthaſar*, in Diſſertatione de Belemnitis Suevicis.
Fabricius *Georgius*, de metallicis rebus ac nominibus in Georgium Agricolam.
Gesnerus *Conradus*, de omni rerum foſſilium genere, gemmis, earúmque figuris.
Guericke *Otto*, de Quedlinburgenſibus.
Helwingus *Georgius Andreas*, in parte primâ & ſecundâ Lithographiæ Angerburgicæ.
Heræus *C: G:* in Diſſertatiunculâ oblatâ Illuſtriſs: Gall: Scientiarum Academiæ.
Hiemerus *Eberhardus Fridericus*, de capite Meduſæ.
Kentmanus *Ber: Jo:* de Calculis, qui in homine ac membris naſcuntur.
Kircherus *Athanaſius* in Mundo ſubterraneo.
Lachmundus *Fridericus*, in Orychtographiâ Hildesheimenſi.

Lambecius, in appendice Bibliothecæ Vindobonenſis.
Lanciſius, in Notis ad Metallo-thecam Vaticanam.
Langius *Carolus Nicolaus*, in hiſtoriâ lapidum figuratorum Helvetiæ, & de origine lapidum figuratorum.
Leibnitius *Godefridus Guilielmus*, in Diſſert: de figuris Animalium, quæ in lapidibus obſervantur, & Lithozoorum nomine venire poſſunt.
Leigh *Carolus*, in Hiſtoriâ naturali Langaſtriæ.
Luidius *Eduardus*, in Ichnographia Lithophylacii Britan:
Major *Joh: Daniel*, in Diſſert: Epiſt: de Cancris & Serpentibus petrefactis.
Maſcardus, in ſuo Muſæo de fungorum petricoſorum matricibus lapideſcentibus.
Mercatus *Michaël*, in Metallo-thecâ Vaticanâ.
Monti *Joan:* de Monumentis diluvianis Agri Bononienſis.
Mylius *Godefridus*, in memorabilibus Saxoniæ ſubterraneæ.
Rueius *Franciſc:* de Gemmis.
Sachs *Philip: Jacob:* à Löwenheimb Gammaralogia.
Scheuchzer *Jacob: Joannes*, Orychtographia Helvetica, Specimen Lithographiæ Helveticæ, Herbarium Diluvianum, Piſcium querelæ & vindiciæ.
Scilla *Auguſtinus*, al vana ſpeculatione diſſingannata del ſenſo.
Spenerus *Chriſt: Maximil:* Diſquiſitio de Crocodilo in lapide ſciſſili expreſſo, aliiſque Lithozois in Miſcellaneis Berolinenſibus Anno M. DCCX.
Sponius *Jacobus*, in Itinerario Hiſpanico de Regno Valentiæ.
Steno in Prodromo de ſolido intra ſolidum.
Tenzelius in Colloquiis menſtruis.
Valentini *Bernardus*, in Muſæo Muſæorum.
Volckmannus *Georg: Anton:* in Sileſiâ ſubterraneâ.

Wel-

Welſchius, Hecatoſt: in obſervatione XLIV. pag: 60. & 62. de variis Aſtroitæ nec non Cometitæ, ſivè lapidis Cometen caudatum referentis, effigiem præſentantibus.

Winckelmannus, in Deſcriptione Haſſiæ.

Wodwardus *Joannes*, in ſpecimine Geographiæ phyſicæ.

Wolfardus *Petrus*, in Deſcriptione Haſſiæ inferioris.

Wormii Muſæum.

Zahn *Joannes* in Mundi mirabili Oeconomia.

Quodſi huic Catalogo eorum Scriptorum nomina adjungerem, qui à laudatis modò Authoribus per decurſum lucubrationum ſuarum allegantur, neque à me hactenus comparari potuerunt, integrum Lithographorum exercitum conſcriberem, quorum vel unus, Davidis inſtar, ſufficeret, unico limpidiſſimo lapide ex Naturæ penu deprompto, gigantæam objectionum & ſatyrarum molem elisâ fronte proſternere, & ſtudii nobiliſſimi præſtantiam à calumniis vindicare.

Ita nimirum comparata eſt humana mens, ut, quæ à Viris omni virtutum & litterarum genere Clariſſimis cum communi ſapientum conſenſu & applauſu geri ac tractari conſpicit, eadem pari approbatione ſibi imitanda & ſectanda eſſe, prudenter arbitretur, quidquid perpauci, iíque obſcuri nominis ogganiant: & licet laboris ejusmodi pretium non primò ſtatim in oculos incurrat, non poſſe tamen non Diſciplinis optimis, ac utiliſſimis eam accenſeri, cui ſe omnibus ingenii viribus addixit Doctorum Flos, quam Summi Maximíque ſuppeditatis ſumptibus promovent, quam amabilem ſua honeſtas, gratam jucunditas, & ipſa utilitas facit fructuoſam: Quæ quidem omnia Lithographiæ noſtræ convenire & exempla docent, & experientia demonſtrat. Ex quo enim illius amor latiùs propagari cœpit, amplificata illicò ſunt litteraria Academiarum com-

mercia, inſtitutæ frequentiores ſocietatum Eruditarum Conſultationes, comparata accuratior ſub diverſo cœlo diverſiſſimarum regionum Deſcriptio, penitiùs inſpecta & cognita terræ ex tam multiplici materiâ congeſtæ indoles, oſtenſa ſalium terreſtrium, & mineralium fontium in petrificando Virtus, demonſtrata corporum vel vegetabilium, vel teſtaceorum in ſaxa & petras transmutatio, aucta Muſæorum & Technico-thecarum ornamenta, mirabilium Naturæ copia, novâ ſpecie multiplicata, & quod his omnibus longiſſimè antecellit, Divinæ Sapientiæ Potentiæq́, clarior agnitio, & quæ illam conſequitur, major ſupremæ Majeſtatis Laus & Gloria eſt propagata. Sacræ inſuper Scripturæ Veritas, & quam in illâ de generali diluvio Hagiographus Deo dictante refert, hiſtoria, contra Atheorum impietatem, aut Scepticorum ambiguam hæſitationem, aut Ludionum commenta invictis, ac ipſis, ex quibus deſumuntur lapidibus magis ſolidis Argumentis ſtabilitur. Meritò igitur tot virorum ſapientum exemplis & nos, licet poſtremi accedimus, eorum ſententiæ & concepto de Lithographiâ judicio ſubſcribimus, ac novum inquiſitionis ſpecimen è Patriâ noſtrâ productum ſequentibus capitibus & Tabulis exhibemus.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

Situs Montis, Lapidúmque ex eo effoſſorum Natura & Compoſitio deſcribitur.

DUcatûs Franconici regio, ea potiſſimùm, quam Mœnus placido curſu alluit, in montes longo tractu diſpoſitos, & modicis interjectis vallibus diſcretos aſſurgit, quibus vallata amnis ripa, intumeſcentes verno & autumnali tempore aquas intra ſinum alvei ita coërcet, ne in agros & prata cum incolarum damno ſeſe effundant, quin potiùs inter anguſta montium ſepta, concluſæ, ſinuoſis flexibus & longo circuitu campeſtrem Franconiæ planitiem declinent. Montes hi nec prærupti ſunt, aut nimia altitudine porrecti in nubes, neque tamen adeo depreſſi ac humiles, ut citra difficilem aſcenſum ſuperari poſſint. Providit enim Naturæ benignitas, ut dorſo mediocriter declivi, acceſſum & culturam vinicolarum, licet arduam & laborioſam admittant, altitudine verò ſuâ ſolaribus radiis propiores, eosdem perducendis ad maturitatem fructibus, uvísque excoquendis liberaliùs exciperent, & à Mœno reflexos, vallísque profundo gremio concluſos arctiùs diutiúsque retinerent: Hinc, quâ Meridiem & Orientem reſpiciunt, vitibus ad apicem usque conſiti, & ad ſtipitum palorúmque æquabilem menſuram falce vinitoriâ attonſi, aut virides thoros, aut diadema formant Bacchicum, quo Mœni præterfluentis littora coronantur.

His unâ vel alterâ ab Urbe Wirceburgenſi leuca collis interjacet, incultus omnino, nullis uſibus idoneus & non tam continuis rupibus, quàm ſaxorum fragmentis, te-

merè diſperſis,& hinc inde prominentibus aſper & difficilis. Non proceris arboribus, ſed arbuſtis tantùm, non herbis aut paſcuis nedum vitibus apta tellus, ſed nudâ calvitie ſterilis, & quia contiguis montibus depreſſior eſt & inferior, majore in illum impetu vis imbrium incumbit, & collectæ in jugis propinquis aquæ, ac in varios torrentes, quâ datâ viâ diffuſæ, in varios ipſum anfractus, hiatus, foſſas & fiſſuras dilacerant, donec in proximam vallem præcipites, in tantam quandoq; altitudinem intumeſcunt, ut onerariæ ferendæ provehendæque ſufficerent: Eâdem tempeſtatum violentiâ magna lapidum grandiuſculorum copia in dictam vallem devolvitur, non ſinè gravi viarum impedimento, & incommodo viatorum: Huic quoque continua loci ſterilitas, & tam diverſa particularum limoſarum, margacearum, arenoſarum, luteſcentium, & terreſtrium lapidibus variæ magnitudinis intermiſta compaginatio, imò & montis ex continuo multiplicis ſabuli affluxu conſervatio, & incrementum adſcribi poſſe videtur. Ad dexteram enim vitiferis, ſed lutoſis ac limoſis montibus, iíſque altioribus adhæret, lævâ dehiſcit in vallem; vertex in amplam ſeſe planitiem explicat, arenoſam & terream, unde copioſa alluvione perpetuo reparatur, quidquid abſorbuit vallis, & aquarum pluvialium illapſu abraſum vel avulſum fuit. Rudis hæc indigeſtáque moles in apice lutea, in umbilico non ſolida ſtrata, ſed ſingulos ſeparatóſque lapides, materiæ limoſæ, terreæ, margaceæ & arenoſæ implicitos habet, quibus ad pedem montis eodem contextu locus redundat, adeo, ut everſi aut ſucceſſu temporis fortuitò coacervati montis tumulum, non montem diceres, niſi continua hujus tractûs altitudo mœnanæ valli circumjacens, hunc quoque ſub numero & nomine montium contineret.

Pro diversa montis regione, lapides in eo deliteſcentes colorem, indolem, firmitatémque diverſam induunt; Qui in vertice eruuntur, flavedine tincti ſunt, & de na-

tura

turâ lutoſorum, licet debiliore conſiſtentiâ, multùm participant, in ſuperficie aſperi, minúſque politi. In medio effoſſi, ex limoſo-arenoſâ materiâ concreti, & albi ſunt, & ut colore margaceo, & quaſi cretaceo, ita & fragilitate & mollitie gypſum imitantur: Qui demùm ex imâ montis baſi protrahuntur, ad denſitatem & firmitatem ſaxeam & ſiliceam accedunt, ſolis enim radiis liberioribus expoſiti, faciliùs indurantur: colorem, quem habent ſubcinericeum, ubi à terreis ſordibus, ad digiti altitudinem plerúmque incumbentibus, probè mundati, eloti & exiccati ſunt, in albeſcentem permutant.

In tres igitur, quatuórve claſſes, pro materiæ, ex qua coaleſcunt, diverſitate diſtribuendos eſſe cenſui, nimirum in arenoſos, lutoſos, limoſos, imò & calcarios, qui omnes, licet vel magnitudinis, vel ſoliditatis, aliarúmque qualitatum defectu, nec ſubſtruendis ædificiis, nec calci coquendæ adhiberi poſſint, prærogativas tamen ſibi proprias, ſingulares, & à foſſilium petrificatorum, cæterorúmque lapidum figuratorum plexu & indole alienas habent, & obſervatu digniſſimas, quas hîc per partes enumerandas duxi. Et

Primò, quidem lapides noſtri, ubi aquæ immerſi, & ab adhærente terreo coagulo terſi ac mundati fuerint, ex ſuperiore ſui parte à potiori adeo glabri, plani, lævéſque conſpiciuntur, acſi adhibitâ cote vel pumice diligentior eos ars ad ſummum nitorem poliviſſet: quæ quidem lævitas, non figuratis ſolùm ſed & informibus, & omni figurâ deſtitutis montis noſtri lapidibus, licet non omnibus ac ſingulis, communis eſt. Ex altera verò & inferiore parte, vel à tergo, quo terræ adhærent, crudi, impolitis & prominentibus turberculis aſperi deprehenduntur, ſimiles iis, quos linguâ patriâ Waſſer-Stein dicimus.

Secundò : Lapidibus ex gypſea cretaceâve materia compoſitis, illud inſuper ſingulare eſt, quod in eruendo maximam foſſorum cautelam & ſolicitudinem requirant; adeo enim nonnulli eorundem, præſertim verò limoſi & ad cretaceam ſubſtantiam accedentes, molles ſunt & flexiles, & Naturæ figulæ manibus quaſi noviter formati, ut vel importunâ manu, aut ligonum dentibus duriuſculè impactis offenſi, dehiſcant; Indureſcunt quidem cœlo & aëri liberiori expoſiti, ſed firmitate tam inſtabili, ut aquæ paulò diutiùs, & ultra debitam ablutioni moram immerſi, non ſecus, ac calx viva efferveſcant, ebulliant, & diſſolvantur. Neque flexilem hanc lapidum noſtrorum mollitiem cariem cum quibusdam dixeris, fixas ſolidioréſque particulas ſenſim arrodentem, neque putredinoſæ eorundem diſpoſitioni adſcripſeris : Cum enim in loco ſuo nativo & proprio, ac à Natura ſibi determinato aſſerventur ac foveantur, neſcio ſanè, quo ex fonte putredinem in illos derivare præſumas.

Tertiò : Figuræ in lapidibus expreſſæ, inſectorum præcipuè, ſubjecto lapidi tam exactè commenſuratæ & accommodatæ ſunt, ut ſculptoris, formam ad materiæ capacitatem & amplitudinem juxta regulam determinantis operâ effigiatos jurares : vix enim ullum reperies, in quo figuræ pars vel excedens, vel deficiens longitudinem latitudinémque ſuam ſubſtratæ tabulæ neſciverit attemperare.

Quartò : Inter plurimas animalculorum & inſectorum ſpecies, quæ ad idem genus pertinere cenſentur, foſſores, licet attenti, & de hoc opere ſufficienter inſtructi rarò detexerunt aliquas, quæ proportioni reliquíſq; partibus figuram conſtituentibus ad amuſſim reſpondeant, quin potiùs ea, quæ præſto ſunt in his, deſiderantur in aliis, & quibus aliæ redundant, his illæ deſtituuntur.

Quintò :

Quintò : Rariores in noſtris lapidibus figuræ ſunt, quæ per impreſſionem, & quaſi incumbentium corporum matricem formantes, cujus plurima exempla Cl: Scheuchzerus affert, effictæ cernantur; ſed ſuper tabellas lapideas elevatæ, teretes, & quaſi exciſæ prominent, ita tamen cum reliquo ſaxo continuæ, ut minimè aliena manu aut materia aſſutæ, agglutinatæ, aut ſuper injectæ dici poſſint.

Sextò : Plurimæ inſectorum, conchilium, cornuum Ammonis imagines, in ſingulis articulationibus, & concamerationibus ſuis completæ, licet non ſemper regularibus & æqualibus ſtriis, tam in prona, quàm in ſupina eorundem parte notantur, ac præthereà nulli ſaxeæ baſi, aut tabulæ, quod de cæteris modò diximus, ſuperſtratæ, ſed ſolitariæ inveniuntur, ita ut lapis integer, una integerrima figura ſit, citra materiæ informis exceſſum, ſuis numeris abſoluta.

Septimò : Figurata animantia & vegetabilia ſivè ſolitaria ſint, ſivè lapidibus inhæreant, ſivè integra, ſivè fracta, & contuſa, aut quovis alio ſciſſionis aut reſolutionis experimento inſpecta, & examinata, nihil prorsùs de nativo plantæ, inſecti, teſtaceíque colore, materiâ, exuviis, armaturâ, aut omni eo, quod ipſis congenitum dici poteſt, vel continere intra ſe, vel lapidi ſubjecto communicâſſe, deprehenduntur, quin potiùs lapidum, quibus incumbunt, ſuámque originem ac natales debent, conſiſtentiam, materiam, & colorem exactè referunt.

Octavò : Animalcula & inſecta ſingula in eo ſemper, quem Naturâ Magiſtrâ amant, ſitu recto, rariùs obliquo vel inverſo collocata videntur, tam concinno omnium articulorum ordine, licet non in omnibus ad reliqui corporis dimenſionem proportionatè extenſo, & in ſingulis partibus completè formato, ut intuentes in ſummam rapiant admirationem.

Nonò : In pleríſq; figuris nulla notari aut reprehendi poteſt partium à ſe diſceſſio, nulla diſtorſio, incurvatio nulla, aut deturpatio, nulla declivitas, nulla foſſularum aut rimarum deformis cavitas, violentiæ autem nec umbra quidem, ſed nitidus decor & elegantia per omnia æqualis.

His aliíſq; lapidum noſtrorum eximiis proprietatibus deſcribendis cum verba & calamus minùs ſufficiant, pictoris & chalcographi peritam operam adjungimus, quorum accuratâ & fideli manu ultra duas centurias imaginum juxta prototypon expreſſas, æríque inciſas Lectoris Benevoli oculis in viginti duabus tabellis conſiderandas exhibeo, pluribus aliis ſecuturo tempori reſervatis, ubi primum Lithographiæ Wirceburgenſis Specimen Eruditorum Cenſuram ſubiverit, eorúmque ſenſa vel judicia aut typo aut calamo fuerint communicata. Nondum enim exhauſta eſt fodina noſtra; locus amplus & ſpatioſus, pluviâ præterlapſæ æſtatis tempeſtate opportunè detectus, quod imbrium, glebam incumbentem abluentium frequentia, velut motâ cortinâ aperuit, fœcundo ſinu majore copia concludit: accenditur operariorum, de modo quærendi benè inſtructorum induſtria liberali ſtipendio, tolerabilem laborem fecit Annonæ caritas, facítque hodiedum lucri ſpes: urget & mea, & Virorum honoratiſſimorum ad opus quandoq; invitatorum præſentia, quos occurrentibus fortaſsè de ſuppoſitione aut artificiosâ impoſturâ, ſuſpicionibus & dubiis Teſtes adhibere placuit, ſuis ſuffragiis & nominibus appoſitis, veritatem rei, ubi opus erit, comprobaturos. Nomen loci ſtudioſo ſilentio tegere tantiſper libet, dum Muſæo domeſtico, ſufficienti apparatu inſtructo, inventionis primitias mihi vindicavero. Patebit advenis Lithophylacium meum, Mons ipſe monſtrabitur, ubi coram intueri in Natura libebit, quod nunc in effigie oſtendimus: Jucundus labor erit, ex amœnitate itineris inter vitiferas Mœni valles, & ex Montis tot portentoſis fœtibus gravidi curiosâ luſtratione.

CAPUT

CAPUT TERTIUM.

Diverſas & celebriores Authorum Sententias de Lapidum figuratorum origine & geneſi ſuccinctè exponit.

ORiginem & geneſin petrificatorum & figuratorum foſſilium ex ipſis operantis Naturæ principiis ita exponere, ut Viri cordati aſſenſum indubitatum extorqueat, hoc opus, hic labor eſt, tentatus à multis, & in variorum Iconolithorum natalibus explicandis ſecundo eventu & plauſu probatus, nondum tamen ita dilucidè perſpicuéque confectus, ut contradictionem, ſolidáſque ex argumentis graviſſimis oppoſitiones effugerit. Imò, ſi auſim dicere, quod res eſt, in opiniones tam diverſas Naturæ mirificæ, vel cujucunsq; cauſæ efficientis virtus, luſus aut error pleróſque deduxit, ut Sententiarum varietas, rem ex ſe obſcuram & reconditam, dum lucem affundere moliuntur, fecerit obſcuriorem. Refero, brevi, ùt ajunt, manu, famoſiora Doctorum placita, ſummâ, quam celebratiſſimis Scriptoribus debeo, veneratione: Nec is ego ſum, qui ſapientiſſimis eorum aſſertionibus per omnia detraham, quam evidentes ad oculum demonſtrationes & experimenta merentur. Id ſolum contendo, nullam opinionum omnium adeo generalem & universìm veram eſſe, ut ad ſingulas figuratorum foſſilium claſſes, citra ancipitem aliorum hæſitationem applicari, nedum lapidibus Wirceburgenſibus, quos producimus, convenire poſſit.

Primum Genealogorum Lithographicorum locum obtinent antiquiores ex Peripato Philoſophi, quibus plus æquo familiare eſt, non obvia palpantium manibus Naturæ arcana, ut Magnetiſmum, Sympathiam, & Antipa-

thiam inanimatorum & animantium, æſtum maris fluentis & refluentis, ventorum ex variis mundi plagis alternantium virtutes contrarias, & innumera hujuscemodi, *qualitatibus occultis* attribuere, de quibus, ſi ultra aliquid rogas, petis principium, quia hæc eorum natura, &, ut ajunt, eſſentia eſt, eſſe occultas. Ab his igitur cauſis tam incognitis, dum lapidum figuratorum natales petunt, fruſtra quercui ſilicem affricas, quia vapores & tenebras affundunt, ubi lucem & ſcintillas expectabas.

His proximè affines ii ſunt, qui ad influxus ſiderum, & tacita cœleſtium cum terreſtribus commercia recurrunt. Quaſi verò ideo Hydrus, Scorpio, Cancer, Tauri cornua, Spica, caput Meduſæ ſunt in lapide, aut lapis ſunt, quia hæc conſtellationibus nomina affinxit Poëta Aſtrologus, aut quæ ignorabat Phyſicus, è longinquo, viâ rudibus non emetiendâ, ab aſtris petebat. Rectè Phaëtontæum hoc ad cœlos ſtelliferos effugium præcipitat Doctiſſimus Langius, dum *cap. 1. De Origine lapidum* ait: *Cum influxus aſtrorum ſit univerſalis, & plerúmque omnia corpora ſublunaria ſimul afficiat, ſequeretur, quod omnia corpora regnante tali Aſpectu naſcentia, mediante ipſius influxu eâdem figurâ donari deberent, & magìs adhuc ipſa vegetabilia, & animalia, quam terrea & mineralia, utpote quorum materia multò fluidior eſt, & influxui aſtrorum magis expoſita, quàm foſſilium ſub terrâ ſepultorm.* Faceſſant illuſtres næniæ, quæ toto cœlo aberrant, dum id, quod in terris novum & mirandum eſt, inter ſidera, quidni & in concavo Lunæ, viâ ſibi & aliis inacceſsâ inquirunt.

Saniore conſilio terreſtrium rerum incunabula in terris quæſivit, & inveniſſe arbitratus eſt Plotius in *ſuâ hiſtoriâ naturli Oxonienſi*, cauſam lapidum figuratorum effectricem ſtatuens vim quandam plaſticam ſalium in viſceribus terræ deliteſcentium. Ad quam opinionem, licet modo explicandi nonnihil diverſo proximè accedit Cl: Hel-

Helwingius in *Lithographiâ ſuâ Angerburgicâ*, in quâ nimiam ſalibus virtutem graphicam, plaſticámque attribuere videtur. Sed offenſus meritò Ariſtotelicus, quæret: Quæ illa ſalium terreſtrium vis plaſtica, certior vel apertior, quàm occulta qualitas Peripateticorum? Fortiorem ſe adverſarium opponit Doctiſſimus Rajus in epiſtolâ Luidii, *Lithographiæ Britannicæ fol: 130. De foſſilium marinorum, & foliorum mineralium origine*, ubi ſanæ mentis homini incredibile exiſtimat, *quævis Salia quaſi uno conſilio & Spiritu ducta ita ſemper conſpirare, ut quædam mucronem Gloſſopetræ, alia radicem, & fragmenta mandibulæ, quædam ſiliquaſtri convexum & expolitum latus repræſentent;* Addam ego *contra Helvvingium* in nitidiſſimos characteres è lapidibus aſſurgant?

Cl: Luidius *loc: citat: pag: 139.* cum Salia Plotii minùs ſaperent, ad alium, eúmq; ampliſſimum fontem mare ipſum recurrit, prima figuratorum foſſilium principia inde hauſturus. *Dico*, inquit, *me ſuſpicari, qui ex mari feruntur vapores, & formâ pluviæ aut nebularum ſuperiora terræ ſtrata ad requiſitam altitudinem pervadunt, teſtaceorum & multorum piſcium ſeminio ſæpius imprægnari, atque exindè pro datâ ſeminii portione, & pro matricis congruentiâ formari alias piſces integros, alias eorum tantum lineamenta, alias dentes, mandibulas, vertebras, aut alia oſſicula, atque inter cruſtacea, nunc integra animalia, quandoque eorum articulos, inter teſtacea nonnunquam univalvia, & ſæpius bivalvia &c.* Ita toto diviſus orbe Cl: Britannus cum lapideſcentium animalium cauſas in Patriâ inſulâ non deprehendit, ad circumfuſum, cui innatat, mare reſpiciens, inde cum vaporibus & pluviis in terram deferri exiſtimat. Explodit hanc opinionem non eruditè minùs, quàm ſalsè & acerbè *Cl: Scheuchzerus Herbar: Diluv: pag: 29.* ad quem Ben: Lectorem remitto.

A Luidio, paucis mutatis & additis, ſententiam ſuam hauſiſſe videtur Cl: Carolus Nicolaus Langius *tractatu de*

lapidum figuratorum Origin: lib. 2. cap. 8. ubi docet lapides figuratos corpora marina referentes, è ſeminibus per terram diffuſis generari, atque ita diſſerit : *Semen ſenſibile & formatum viventium marinorum, cum parvum ſit & leve, vel etiam inſenſibile & non formatum, in partibus corporum mortuorum adhuc relictum, aut in ipsâ mucedine partium jam putrefactarum ſuperſtes, hinc inde mediante aëre, vaporibus & aquâ, levi negotio elevatur, & per apertos terræ poros diffunditur, in ſubterraneis verò, partim mediante ipſo calore ſubterraneo, aliisque latentibus ſuccis fluoribúsque, excitatis è mari aliísque locis, in quibus deliteſcit, attollitur, & per hiantes ſubterraneos meatus, ſaxorum fiſſuras ſtratorúmque pervia foramina diſtribuitur, ita ut ſæpius tali modo ad extimam terræ ſuperficiem penetret, usquedum in aliquam congruam matricem intra terram, vel etiam in ejus ſuperficie exiſtentem incidat, cui ob innatum Magnetismum intimè unitur, firmitérque inhæret, donec accedente calore ſubterraneo, latens vis pluſtica excitetur, materiámque fluidam proportionatam, mediante Spiritu lapidifico, cum aurâ ſeminali quaſi identificato, taliter efformet, atque in tale corpus lapideum figat, quale in mari è materid teſtaceâ produxiſſet &c.*

Syſtema hoc tantis verborum ambagibus propoſitum, & ea omnia, quæ ad generationem & formationem corporum conducere poſſunt, unum in cumulum coacervans, præter Scheuchzerum, Büttnerum, & complures alios ſtrenuè impugnat & diſſolvit Vir Clariſſimus mihíque maximè colendus Petrus Aſſalti, in Archi-Lycæo Romano Botanices Profeſſor celeberrimus, Amicus & Fautor meus integerrimus, *in eruditiſſimis notis ad Michaëlis Mercati Metallo-thecam Vaticanam Armario 9. pag: 220.*

D D: Woodwardus, Scheuchzerus, Wolfardus, Büttnerus, Mylius, Volckmannus, aliíque magno numero Viri Litteratiſſimi & Sagaciſſimi, pleraque, ſi non omnia petrificata, Diluvii univerſalis reliquias, & communis Naufragii

fragii certa rudera eſſe, irrefragabilibus documentis oſtendere, non incaſſum laborant. Cum enim apertis cataractis, laxatâ abyſſo, diductis fontibus, mare & flumina ex continuo denſiſſimorum imbrium accurſu tranſiliiſſent littora, & orbem univerſum terribili inundatione ſubmerſiſſent, accedente vehementi ventorum impetu, facta eſt ingens rerum confuſio & commixtio, ita ut innumera, quæ tellus antehàc & continens ſervabat, provolverentur in maria, & quæ ſuo ſinu complexus eſſet Oceanus, per terreas regiones diſpergerentur. Hinc contigit, ut animantia, teſtacea, cruſtacea, vegetabilia, recedentibus non ſinè fluctuum tumultu aquis, ingeſta humo, aut montium ſaxorúmque ſtratis conſepulta, ſucceſſu temporis debito ſale ſuccóque lapidifico condita & tincta in ſaxeam denique ſubſtantiam concreverint, quæ tum præteritis temporibus effoſſa, tum noſtrâ potiſſimùm ætate rerum naturalium ſtudio florentiſſimâ eruuntur.

Sententiam hanc, veritati naturalis hiſtoriæ, Religioni Chriſtianæ, & Sacrarum Scripturarum Oraculis maximè conſentaneam, licet in petrificatis exoticis ambabus ulnis amplectamur, ad dilucidandam tamen lapidum noſtrorum, qui ſinguli petrificatis accenſeri non poſſunt, originem uſui eſſe vix poteſt.

D. Fridericus Lachmundus *in Orychtographiâ Hildesheimenſi*, & Joannes Bauhinus *de Fontibus & Balneo admirabili Bollenſi lib: 4.* cum ſequacibus ſuis, quos Ludiones, Archæiſtáſque, mutuato ab opinione ſuâ nomine, paſſim appellant, quidquid in Iconolithis mirabile & ſpecioſum conſpexerint, id pulchris Naturæ erroribus, vel Archæo per mundum inferiorem ab ipſo ſui exordio diffuſo adſcribunt; In hos non ſinè ſtomacho invehitur Cl: Büttnerus *Coralliographiæ ſubterraneæ fol. 3. 4. 5. præſertim paragrapho 7.* ubi in verba ſequentia erumpit: *Quaſi verò Majeſtaticus & Graviſſimus Eſſentiator actuoſiſſimâ cauſarum ordinatione ſivè*

directione ordinis Naturalis nunquam non effectivâ ludat! ſanè hic ordo ſivè Archæum, ac Spiritum mundi, ſivè Naturam naturatam, imò naturantem ſobriè dixeris, ab operoſiſſimâ ſapientiſſimi & ſeveriſſimi Numinis Mente ac Voluntate unicè dependet, nihil ex ſe intendit, neque ἄνοος *intendere, deſtinare & efficere poteſt. Ideo quotquot luſuum inſimulatur Natura, tot imputari Directori Graviſſimo ſciant & vereantur Aſſertores, præſertim qui Chriſtiano Nomine ſuperbiunt.* Ita expoſtulat Vir Eruditus. Nihilominus cum Cl: Bajero *Orychtographiæ Noricæ cap: 5. fol. 31.* ſtatuendum judico, Naturæ Luſum in ſenſu latiore ſumptum è Genearcharum numero, quibus figuræ lapidum tribuuntur, non eſſe excludendum, quin tamen Agens aliud extraordinarium à Deo Naturæ Authore diſtinctum intelligatur, vel ſtatuatur. Inveniuntur lapides, qui, ſivè ſui generis figuram exhibeant, ſivè aliorum corporum formas imitentur, minùs tamen perfectè id præſtant, ſed aut mole, aut extenſione, aut notis characteriſticis aliis deficiunt, ita, ut è rebus, quibus utcunque aſſimilantur, ortum traxiſſe, nullatenus oſtendi poſſit. Horum texturam picturámve, cui alteri principio, quàm Naturæ artificiosè ludenti adſcribas?

Celebrioribus hisce, ac jam vulgatis inter Eruditos Lithographorum Sententiis, novam planè, eámque ſingularem & lapidibus Wirceburgenſibus unicè accomodatam ſubjicio, quam Vir in variâ re litterariâ, eâ maximè, quæ ad hiſtoriam pèrtinet, longè verſatiſſimus, & in eruendis è Monte Franconico lapidibus noſtris oculatus Teſtis ex monumentis hiſtoricis protulit. Ut enim penſitatis maturâ deliberatione omnibus, probè intellexit, foſſilia noſtra ad nullam petrificatorum communium claſſem, nec aliquam earum, quas pro opinioonm diverſitate retulimus, cauſarum efficientium reduci poſſe, non, inquiebat, Naturæ, ſed Artis hoc opus eſt, & quidem impiæ ac ſuperſtitioſæ. Solebant enim Germani adhuc Ethnici plantarum, Arborum, Animalium, licet fœdiſſimorum imagines

gines rudi quantumvis manu ſibi ſculpere, easdémque ceu ſacrum quoddam Palladium ſecum ſervare, & damnabili cultu venerari: erant præterea ſuperſtitioſæ huic impietati tantâ pertinaciâ addicti, ut ſimulacra ejusmodi, licet jam ſacro Fonte Chriſto initiati ægerrimè dimitterent. Unde in Synodo Germanicâ Anno 742. ſub Carolomanno Duce celebratâ canone 5. ſtatutum eſt, ut Epiſcopi, auxilio & Authoritate Gravionis ſivè Comitis, qui Defenſor Eccleſiæ ejus eſt, ſuffulti curam gererent, *ne Populus Dei Paganias faciat, ſed omnes ſpurcitias abjiciat, & reſpuat &c.* Idem Decretum eſt in Synodo Liptinenſi Anno 743. ſub eodem Carolomanno habitâ, canone 4. his verbis: *Decrevimus quoque, quod & Pater meus ante præcipiebat, ut qui paganas obſervationes aliquâ in re fecerit, mulctetur, & damnetur quindecim ſolidis.* Epiſcopi igitur pro Paſtorali ſolicitudine ſuadebant ſubjectis fidelibus, aut Comitum Defenſorum Authoritate & mulctis intentatis urgebant ethnicæ ſuperſtitionis reliquias, ſimulacra, & ſortes in loca deſerta, & à conſuetudine hominum remota abjicere & æternâ oblivione ſepelire. Talis mons eſt iſte, lapidum ad ritus paganos adhibitorum tumulus, & infame receptaculum, ex quo aperta hæc abolitæ ſuperſtitionis veſtigia hodie effodiuntur. Hoc Viri præcellentis judicium eſt, cui aliud in lapides Wirceburgenſes commentum ab Amico, in familiari colloquio, animi potius, quàm ſeriæ diſceptationis causâ propoſitum ſuperaddo, qui ſic arguebat:

Lux, ut ſuppono, eſt effluvium corpuſculorum ſolarium, quæ cum naturæ igneæ ſint, aërem ceu corpus liquidum & diaphanum pervadunt, fovent & illuminant: ſubſtantia proinde corporea eſt, fortè non diſtincta à primigeniâ luce, quam ante ſolem & ſidera creavit Deus, imò ex quâ ſolem & ſidera poſtmodum compegit. Hæc rerum omnium, in quas externè incidit, formas ac figuras induit, unde naſcuntur ſpecies viſibiles,

quas in Camerâ Obſcurâ, in Lucernâ magicâ, in limpidæ & tranquillæ aquæ cryſtallo, quas in ſpeculis ac oculorum pupillis recipimus. Conceditur luci facultas verè admirabilis pingendi, repræſentandi, & effigiandi imagines corporum, quas ſuperfuſa induit, quidni & virtus activa quædam & plaſtica easdem, quibus modificata eſt, formas materiæ aptæ imprimendi? Nota eſt vis radiorum ſolarium, in terram ſubjectam agentium: notum eſt Atmoſphæram innumerarum atomorum elementarium, quarum plurimis vis quædam effectrix ineſt, colluvie imprægnatam, quæ junctis cum luce viribus operantes tam varias inſectorum, plantarum, quin & ſtellarum (nam ſua noctibus, ſereno aëre, lunâ plenâ vel creſcente lux eſt) figuras, limoſis, luteis, arenoſis ac mollibus ſaxis impreſiſſent. Species profectò viſibiles repentini objecti in oculos mulieris gravidæ illapſæ, momento, Matre licet reluctante, & attonitâ fœtui imprimunt florum, fructuúmque formas, quandoque membra & artus belluarum. Si dicis fortè, monſtroſas has in fœtibus tenellis notas non ſolâ ſpecierum ocularium, ſed plantaſiæ ſimul & ſenſûs interni operâ efformari: Contra eſt: hæc ipſa ſenſûs interni operatio à ſpecie impreſſa ortum ducit: Cur reluctantia & contrarius niſus matris actionem ſenſûs interni non impedit? Cur non detur Analogia quædam inter uterum matris & uterum terræ, quæ communis omnium Parens eſt, & licet inanimis, concipiendis tamen ac gignendis fœtibus idonea? Cur ſubſtantia aëreæ lucis ſic modificata, & fœcundæ telluris activitati, accedente ſalium, ſeminii, aut Panſpermiæ regimine conjuncta, hanc determinare, imò adjuvare nequeat, ut inſecti vel plantæ figura in lapide aut limo tractabili, poſtea in lapidem indureſcente efformetur?

Hâc ratione explicari poſſet, cur in lapidibus quibusdam monſtroſæ, & ex noſtratibus ac peregrinis com-

poſitæ

poſitæ, imagines quædam ſupra debitam à Naturâ magnitudinem ſpiſſæ & extenſæ, tenuiores aliæ, telæ aranearum tam groſſæ appareant? nimirum ex refractione, diſtorſione, confuſione lucis ſpecificæ, ut fieri videmus in ſpeciebus, dum in ſpeculum polygonum, cylindricum, concavum, aut convexum incurrunt. Si lapides objicis characteribus hebraicis inſignitos, ad antiquum Hebræorum ſepulchretum altero teli jactu à monte hoc prodigioſo diſſitum, & ante annos non ita multos, dum judæi ex oppidis vicinis exturbarentur, disjectum confugio, ubi ex monumentis & inſcriptionibus ſepulchralibus pro more gentis erigi ſolitis, incuba lux & characteres, & integra vocabula inducere, & aliò pro extenſione ſuâ transferre didicerit. Ita ſomnium ſuum, ut ipſe nominare voluit, Philoſophicum expoſuit, quod minimè prætermittendum cenſui, ut vel ex hoc pateat, quàm ſe torqueant præclara ingenia, ut veriſimilem aliquam lapidum noſtrorum figuratorum cauſam & originem undecunque conquirant. Ego ſingulas ſummâ obſervantiâ veneror, nonnullis circa alias petrificatorum ſpecies ſinè hæſitatione aſſentior, id ſolùm ſequentibus capitibus demonſtrare aggredior, tam inſolitam eſſe lapidum noſtrorum indolem, ut opiniones, quas retuli, omnes documentis & experimentis exploratiſſimis ſtabilitas, novitate ſuâ eludant.

CAPUT QUARTUM.

Lapides figurati Wirceburgenſes non ſunt reliquiæ & Veſtigia Paganismi, adeóque ſuperſtitioſæ Ethnicorum Germanorum Arti nequeunt adſcribi.

NEſcio, quibus rationibus inductus Vir Eruditus, ſibi aliísque perſuaſum velit, Lapides noſtros *ſuperſtitioſas eſſe Paganismi reliquias.* Quidquid enim vel in Synodo Liptinenſi, cui Synodum Germanicam anno uno citiùs celebratam addidimus, de *Paganiis* è Neophytorum manibus extorquendis & extinguendis ſtatutum eſt, minimè convincit, foſſiles ſaxorum noſtrorum imagines ex earum numero eſſe, quas Carolomanni Pietas, & Virorum Apoſtolicorum zelus abolere, & fidelium oculis, animíſque ſubducere, unicè cupiebant. Inſpiciamus utriusque Synodi Canones fideli manu excerptos, quorum V. in Synodo Germanicâ ita habet: *Decrevimus quoq;, ut ſecundùm Canones, unusquisq; Epiſcopus in ſuâ Parochiâ ſolicitudinem gerat, adjuvante Gravione, qui Defenſor Eccleſiæ ejus eſt, ut Populus Dei Paganias non faciat, ſed omnes ſpurcitias abjiciat, & reſpuat, ſivè profana ſacrificia mortuorum, ſivè ſortilegos & divinos, ſivè phylacteria & auguria, ſivè incantationes, ſivè hoſtias immolatitias, quas ſtulti homines juxta Eccleſias ritu pagano faciunt, ſub nomine Sanctorum Martyrum & Confeſſorum, Deum & Sanctos ſuos ad iracundiam provocantes, ſivè illos ſacrilegos ignes, quos nedfratres* (NODFYR vel NODFEYER) *vocant, ſivè omnes, quæcunque ſunt paganorum obſervationes diligenter prohibeant:* In Synodo verò Liptinenſi, Canonis IV. hæc verba ſunt: *Decrevimus quoque, quod & Pater meus ante præcipiebat, ut, qui paganas obſervationes aliquâ in re fecerit,*

fecerit, mulctetur & damnetur xv. ſolidis. Huic è monumentis Paderbornenſibus ſubjungitur indiculus ſuperſtitionum ſivè Paganiarum triginta prohibitarum, quas ſingulas, ſi cum præcitatis Canonibus attentè conſideres, ad nullam earum claſſem lapides noſtros reduci poſſe deprehendes : Non ad *Sacrificia* ſivè *hoſtias immolatitias*, cum nec Idolorum, nec, quibus iſta colebantur, victimarum vices ſubierint : quis enim lapides pro ſacrificiis oblatos, aut expreſſas animantium imagines, hoſtiarum loco immolatas obſervavit ? Non ad auguria, divinationes, ſortilegia aut incantationes : Refutator Domini Van Dale, ac Defenſoris hujus, Domini Fontenelle, longè alios vaticiniorum, auguriorum, divinationúmque ritus ex Ethnicis Chriſtianiſque vetuſtiſſimis Scriptoribus allegat, in lib: de ſilentio Oraculorum, nullâ ſimilium ſuperſtitioſorum lapidum factâ mentione : Non ad phylacteria ſivè ligaturas : Quis enim ſaxa ligaturis aut philacteriis adnumeret ? Quis ſcrupeâ hâc ſaxorum congerie faſcias ac ſubligacula vel farta, vel gemmarum loco diſtincta & exornata fuiſſe credat ? Quæ de tempeſtatibus, cornibus, & cochleis ibidem vetita ſunt, itidem nihil commune habent, cum tantâ inſectorum omnis generis varietate, quæ tum in tabellâ præſenti, tum in ſequentibus expreſſa dedimus. De Amuletis Ethnicorum laudatæ Synodi, vel Paganiarum catalogus, altùm ſilent, nec molis tantæ, támque informis lapides appendi collis infantium contra incantationes, aut faſcinum poterant, niſi ſuffocare parvulos & opprimere, appenſo ex annulis aut catenulis, quarum nec veſtigium rudis figura lapidum gerit, non exigui ponderis ſaxo parentes impii voluiſſent. Si hæc barbaræ & imperitæ gentis Idola fuiſſe contendas, fateor equidem non barbaris modò incultiſque nationibus, ſed & Græcis Ægyptiiſque, &, qui Gentium omnium ſuperſtitiones imitabantur, Romanis belluas quoque, & ferarum immaniſſimas Deorum loco habitas cultáſque fuiſſe. Verùm quis gryllos, araneas, lumbricos, teſtudines, & ſi

quæ alia ſunt, viventis naturæ ejectamenta, aris impoſita, & inauditâ hactenus apotheoſi donata fuiſſe meminit?

Et verò Scriptorum Franconicorum de paganiis in unum montem conſepultis ſilentium pro diſertiſſimo nobis teſtimonio eſt, nihil ex præſcripto laudatarum Synodorum contigiſſe, quod noviſſimæ hujus opinionis Author intendit. Refert quidem Ms: Herbipolenſe Chronicon ſuperſtites fuiſſe ex veteri Gentilismo Palladis & Martis ſtatuas Græco more & habitu expreſſas, eásque in gradibus ad Porticum Eccleſiæ Cathedralis, qui locus hodie vulgò zur Greden dicitur, ornatûs aut antiquitatis conſervandæ causâ expoſitas, demum in profluentem Mœnum, ad abluendam omnem priſcæ impietatis memoriam abjectas fuiſſe: nullius autem alterius ethnicæ ſculpturæ vel abolitæ, vel conſervatæ mentionem facit.

Alluebat Wirceburgum Mœnus temporibus S. Bonifacii, S. Burchardi, aliorúmque Præſulum & Apoſtolorum Franconiæ noſtræ, profundo ſatis alveo, in hunc demergi, aut flammis abſumi poterant infames illæ Ethnicismi reliquiæ, quas Chriſtianis indigenis vel Epiſcoporum zelus, vel dictatæ à Ducibus Francorum mulctæ timor ſubduxit. Cur in montem potiùs congeſtæ ſint, facili acceſſu omnibus obvium, & viæ regiæ ad Mœni ripam proximè contiguum? Ad loca deſerta, ad abditos ſylvarum denſiſſimarum, quibus Patria noſtra hodiedum undique vallatur, receſſus, ad inhoſpita Franconiæ Borealis ſaxa, ad antra ſubterranea amandari debuerant illæ, de quibns Synodi loquuntur, Spurcitiæ, ſi puritati Religionis conſultum volebant ſoliciti Antiſtites, non verò ad montem, locúmque in oculis omnium deportari, undè à populo, ſub id tempus ad avitas ſuperſtitiones adhuc valdè proclivi nocturno furto repeti, & tantò periculoſiùs, quò cautiùs occultiúsque poterant retineri.

Adhæc

Adhæc eâ tempeſtate non ſola Herbipolis, aut ager Wirceburgenſis indigenis habitatus erat. Numerabat Franconia frequentes pagos & oppida diviſa in Parochias, quorum incolæ in pietate, moribúsq; Chriſtianis inſtruebantur : nullibi tamen tot ſæculorum intervallo, inter continuas agrorum vinearúmq; culturas, inter ſylvarum exciſarum latebras, vel unicum extirpatæ ſuperſtitionis veſtigium occurrit. Quod de Franconiâ idem pari jure dixerim de Bojoariâ, Thuringiâ, Haſſiâ, Saxoniâ, quæ omnes ampliſſimæ Provinciæ latum Apoſtolicis laboribus campum S. Bonifacio ejúsque ſociis aperuerunt. Exſcindebantur luci, evertebantur Idolorum delubra & fana, Idola igni eremabantur, nihílque prætermiſſum fuit, quo omnis priſtinæ ſuperſtitionis recordatio è cogitationibus & aſpectu hominum evelleretur. Suffulciebant Chriſtianiſſimorum Francorum Principum ſtudia Sanctorum Præſulum induſtriam, qui non minore ac olim Conſtantinus & Theodoſius Magnus in Oriente fecerant, induſtriâ conatúque Franciam orientalem, quacunque versùs patebat, Ethnicorum ſpurcis erroribus liberam expurgatámque cupiebant. An nullibi in memoratis Provinciis Paganiæ Neophytis ſublatæ, in aliquem terræ cumulum tumulúmque congeſtæ, poſtremâ hâc ætate noſtrâ detectæ & cognitæ fuerunt? Nemo ex omni Virorum Litteratorum numero, qui laudatarum Regionum terras ad viſcera usque ingenti ſolertiâ ſcrutati ſunt, & plura Naturæ petrificæ miracula in lucem producta doctiſſimis commentariis ediderunt, nemo, inquam, eſt, cui in mentem venerit, ea Paganiis aut ſuperſtitioſis extirpati Gentiliſmi monumentis accenſere. Inſpicite, ſi lubet, relatum cap. 1. Lithographorum ſolertiſſimorum Catalogum, Argumenta ſcriptionis, ipsósque Commentarios evolvite, ne unum ex omnibus reperire eſt, qui Paganiſmo extincto figuras hujusmodi exoticas adſcribat. Quanquam & nullus mihi, aliísque Lithophilis viſus, lectúsque ſit, qui in ſimiles noſtratibus lapides poſt inveſtigationem quantumvis ſedulam

dulam inciderit. An fortè Thuringi, Bojoarii, Haſſi, Saxonésque iisdem, quibus Francones Synodorum & Principum Francorum, de vetitis *Spurcitiis* Decretis & Legibus non tenebantur? An hi ſoli præ cæteris Germaniæ populis ita tenaces erant damnatorum rituum? An ſola Franconia & modicus quidem tractus illius, ager nimirum Herbipolenſis, tumulum aperuit, in quem congeſtæ veteris impietatis imagines ſepelirentur, & ad ætatem usque noſtram, præteritis ſæculis incognitæ ſervarentur?

Si cælaturam figurarum attentè inſpicias, illam in unâ eâdémque tabellâ tam diverſam diſtingues, ut ſeduli Sculptoris artem mirari poſſis in beſtiolâ, quam in alterâ ejusdem ſaxi imagine ruditati illorum temporum, apud gentem artibus nondum excultam adſcribes. Cur Paganorum Ethnicorum ars unius inſecti formam tam dexterè aſſecuta, in alterâ defecit? Et, quod maximè ad rem facit, cur animalculorum extraneorum & maritimorum ectypa elegantiùs plerúmque & perfectiùs expreſſa conſpiciuntur, præ domeſticis & patriis, quæ indies ob oculos verſabantur? Quo vento vel turbine ab Oceano & exteris regionibus in interiorem Germaniam, in barbarorum Paganorum manus delata ſunt peregrina & maritima animalcula, quorum effigies in profanis Idolorum ſacris ad ſuperſtitioſum cultum adhiberentur? Cur artifices aut Myſtæ Ethnici ad opus venerationi Deorum, aut divinis, ut falsò rebantur, ſuprà naturam effectibus deſtinatum, viliſſimorum ſaxorum, imò calcis aut luti indurati fragmenta elegerint, præ lapidibus melioris notæ, imò marmoribus, quæ montes vicini nutriunt?

Militat profectò contra hanc opinionem ipſa natura lapidum, de quâ ſupra cap: 2. egimus. Quamplures adeò molles tractabiléſque demonſtravimus, ut vehementiore attactu diffringantur: figuras iisdem impreſſas

adeò

adeò recentes deprehendimus, quaſi rotæ aut manui figuli vel Naturæ (ſi tamen eam hîc artificem dicere poſſumus) plaſtico operi intentæ ſubducerentur. Plurimi aquæ immerſi calcis in morem ebulliunt & diſſolvuntur, quales ii ſunt, quos *in Tabula 1.* hîc apponimus. Quâ ratione per præterlapſa integra decem Sæcula à carioſâ putredine & interitu integri conſervati ſunt, in monte, continuis imbrium alluvionibus expoſito, & in ſulcos ac hiatus complures ſciſſo ac perforato? Cur in iſtis aquarum pluvialium receptaculis ſub modicâ incumbente glebâ, aut cœlo aperto diſperſi, toties per anni tempeſtates grandinum torrentiúmque magno impetu illùc ruentium & in lacunas terræ ſeſe inſinuantium vi & incurſu perpluti & probè tincti, non diffluxerunt in pulveres, aut in priſtinas arenas reciderunt?

Denique, quod omnem de Paganiarum reliquiis ſuſpicionem penitûs extinguit, ſunt lapides non pauci, quos characteribus hebraicis (ut Arabicos, Latinos & Teutonicos præteream) notatos eodem in loco, quo cæteros, reperimus. In his Nomen Dei ineffabile, *Jehova*, *Virtus Domini*, *Miſericordia Domini*, *Potentia Domini*, aliæque perfectiones Divinæ verbis diſertiſſimis expreſſæ (quod infrà cap: penultimo videbitur) uti veri ſupremíq; Numinis agnitionem laudésque loquuntur, ita profectò nihil commune habent cum Diis Deabúsque Gentilium, nec ad ſuperſtitioſas errorum cæremonias ac maleficia unquam pertinuiſſe noſcuntur. Dices fortaſſis non procul à monte hoc abeſſe ſepulchretum judæorum, è quo lapides ſepulchrales, pro more gentis hebraicis inſcriptionibus notati, atque in hunc locum deportati ab eo tempore fuerint, quo judæi ex vicino oppido relegati, tumulíque eorum everſi & diſſipati ſunt. Si ita eſt; Non Paganorum, ſed mortualia judæorum monumenta rectiùs dixeris lapides noſtros; quanquam nec hoc ſuſtineri poſſit. Vivunt oppidani non pauci, qui judæos ſuâ ætate adhuc

incolas proſcriptos expulsósque viderunt. Nullus autem eorum meminit epitaphiorum in alterum montem profundâ & præcipiti valle ſeparatum, aut imbrium frequentiâ devectorum, aut vinicolarum operâ translatorum. Grandiora ſaxa ſunt, quæ pro epitaphiis Hebræi adhibent, defunctorum & familiarium nominibus geſtísque particularibus inſcripta: Lapides noſtri eam magnitudinem ne latum unguem excedunt, in quâ ad amuſſim delineatos & æri inciſos dedimus, lapilli potiùs & informes rupium aut ſaxorum particulæ, in quibus præter ea, quæ Deum concernunt, nec nominis proprii, nec factorum particularium, aut anni temporísque Chronologicum veſtigium, Viri linguæ ſacræ periti ac Rabbini Doctiſſimi hâc de re conſulti obſervaverunt. Quàm vehementer judæi poſt ultimum Hieroſolymorum excidium ab omni Idololatriæ umbrâ abhorreant, & vel ideò ſculptas pictásque rerum creatarum imagines averſentur, neminem latere poteſt. Inveniuntur nihilominus in hoc ipſo Lithophylacio noſtro Cornua Ammonis, Pectunculi, nota ignotáque animalcula characteribus Hebraicis, ſacríſque Dei Nominibus inſignita, cum reliquâ inſectorum ſexcentorum farragine, de quibus egimus. An credere fas eſt, hæc ſectæ judaicæ artefacta fuiſſe, ad mortuorum ſuorum ſepulchra exornanda memoriámque ad poſteros cum immortali ſuperſtitionis contra legem avitam patratæ & promeritæ execrationis notâ propagandam?

Liceat itaque cum bonâ Hiſtoricorum veniâ, & ſingulari, quâ ipſorum Eruditionem ſuſpicimus, obſervantiâ ab opinione Eorum recedere, Natalésque Lapidum Noſtrorum, nec ac Paganiſmi, nec à Judaiſmi in cœmeterio ſuperſtitis monumentis ac reliquiis derivare.

CAPUT

CAPUT QUINTUM.

Ingenioſum Commentum eſt, quæ de Virtute Lucis plaſticâ Lapidum noſtrorum formatrice nonnemini in familiari colloquio placuit ſuſpicari.

COmmentum appello ex ipſis Viri mihi amiciſſimi verbis, quibus opinionem non tàm ſuam, quàm conceptum Philoſophico-Poëticum expreſſit. Cur enim, inquiebat, mihi licitum non ſit in argumento tàm obſcuro, tàm inter Litteratos controverſo Ideam aliquam effingere, ſi non è puteo veritatis, ſaltem non è concavo aut montibus Lunæ, aut cerebro Platonis, ſed ex Naturæ fontibus hauſtam. Fuerunt apud Libavium *Lib. 5. de Bituminibus*, qui lapidum pictorum & figuratorum artifices, *Genios ſubterraneos* dixerunt, quorum operâ ad fulciendam in hominum credulorum animis ſuperſtitionem formentur. Fuerunt alii qui cavernas, ex quibus omnis generis petrificata animalcula effodiuntur, ſanctis olim Anachoretis habitatas referunt, quos rerum divinarum contemplationi immerſos, ab omni hominum commercio abſtractos, variis infeſtationibus in ſancto otio turbare, inanibus terriculamentis percellere, & immiſſis inſectorum turpiſſimorum & venenatorum turmis è ſacris illis receſſibus expulſos in mundi conſpectum, priſtinámque ſocietatem hominum revocare, mali Dæmones tentârint : Sed Viros Divino præſidio tectos, ſolo ſalvificæ Crucis ſigno abegiſſe inſidiatores peſſimos, & quidquid ſtygiis eorum artibus animalculorum adductum fuerat, in ſolidiſſima ſaxa convertiſſe, quæ hodiedum ad perennem miraculi memoriam ex ſubterraneis hiſce cellis eruantur. Ita ad ſuperos infe-

róſque provocant pii Philoſophi, ne in re incertâ, & explicatu difficili nihil omnino dixiſſe videantur. Lux præplacuit oſori tenebrarum, Fautori meo, cui pro illuſtribus terrei & obſcuri partûs natalibus inter aureos ſerenósq; ſolis radiantis luménq; ſpargentis effectus feliciter repertis plurimùm obſtrictus eſſem, ſi de lapidibus filios Lucis ſuſcitare potuiſſet. Induit lux tranſeuntes rerum omnium viſibilium imagines, eáſque vel in ſpeculis oculíſque viventium depingit, vel vitris opticis, cameríſque obſcuris receptas, in tabulam aut parietem candidum ita reflectit, ut pari, quâ fiunt, celeritate evaneſcant. Quandonam colore indelebili, novus hic artifex ita pictoriam exercuit, ut vel umbram altiùs ſubjectæ materiæ impreſſam relinqueret? Innumera ubivis locorum eſſet Iconolithotum multitudo, nec inſectorum tantùm, ſed præſtantiſſimorum ex omni Naturæ regno corporum, urbium, arcium, nemorum, vinearum, ac denique cunctorum, quæ ſub ſole ſunt, ectypa, ſi prothea lux, uti ſingulorum formas induit, ſic fixâ reverberatione effigiaret. Quis Cometas finxit in lapide, rarò & totius quandoque ſæculi intervallo non conſpicuos, prætermiſſis ſtellarum quotidie Hemiſphærio noſtro illuceſcentium formis? Expoſita ſoli meridiano cera liqueſcit, ſed ut fuit, informis, manet. Quid nive recipiendis impreſſionibus aptius, quid tractabilius? Lucem illa ſereno cœlo admittit, undequaque reflexam & incidentem, ſed ſinè graphicis ſpecierum notis. An unius Franconiæ noſtræ collis glebam parit cæteris Europæ plagis incognitam, & recipiendis prodigioſis effectibus idoneam? Quàm novum & inſolens connubium, lucem inter & elementares atomos per aërem diſperſos excogitat, quorum conjunctis viribus admirandi in duritie ſuâ formatâ partus progignantur? Quam lux ab elementis, aut ab utriſque terra fœcunditatem ſortitur, ut in lapide gryllum, muſcam, lacertam, aut quodcunque aliud inſectum generet, aut in illud ſaxeam glebæ luteæ, arenoſæ, vel

vel margaceæ materiem transformet. An tacitè in Luidii opinionem inclinat, & quæ ille vaporibus, hic luci commiſcet ſemina, cujus ope & inferantur terræ, & formas nativas induant? Analogia inter maternum uterum & ſinum terræ hîc maximè, ut omnis comparatio, claudicat. An inanimi terræ globo vim tantam activam tribuas, quam Principio vitali in matre prægnante meritò adjudicant Phyſici, ſed modum operandi ſubitaneum, & ordinatæ naturalis corporis ſymmetriæ adverſantem necdum dilucidè citrà multorum dubitationem expoſuerunt. Fiunt monſtra, aut benè formato fœtui nævi materni imprimuntur, non ſolo tamen ſpecierum viſibilium ex objecto terrifico, aut inſolito, conceptu, ſed & tactu, auditu, imò guſtu quandoque. Quid luci cum auditu vel tactu, quid terræ emortuæ cum ſenſibus commune eſt? Lux ſola corpora diaphana & perluſtria penetrat: denſorum autem & opacorum, quale terra eſt, externam ſolummodò faciem radit, non permeat, non ambit, non circumfunditur, tunc potiſſimùm dum alteri corpori ſolido inſtrata incumbunt. Quâ igitur viâ ad trium, quatuor, imò plurium cubitorum altitudinem terreos aggeres pervadit lux, quo juxta multorum opinionem ſolaris ægrè calor diffunditur, ut ſpecies propaget, & fortè ad glebæ mollioris tabulam alliſas, cum imagine figat? Imò non ſolâ impreſſione, ſed opere, ui ita loquar, tornatili, concham numeris omnibus abſolutam, non rudi luto inhærentem, ſed quaquà versùm continuato artificio eleganter ſpectabilem relinquat? Videatur *Tabula II.* ubi lit: A. prorſam lapidis figurati faciem, lit: B. averſam indicat.

Hâc unâ reflexione corruit, quidquid de ſpecierum confuſione, permixtione, diversâ reflexione, ceu defectuoſarum imaginum monſtrosâ causâ comminiſcitur. Fruſtra quoque characterum aut vocabulorum hebraicorum ideas ex Hebræorum ſepulchralibus monumentis

 advocat,

advocat, ac in lapides vehiculo lucis adducit; Si Judaicorum ſepulchrorum inſcriptionibus debentur tam diſerta Divinæ Majeſtatis, Meſſiæ, Spiritúsq; Divini elogia, quod meritò cap. præced. in dubium vocavimus, cur vites, ſepes, arbores, erecta Sanctorum per vineas trophæa & columnæ, non minùs, imò patentiùs luci expoſita in lapidibus noſtris locum minimè inveniunt? Cur dignior Hebraismus viſus eſt, cujus in monte hoc relinqueretur in ſaxeâ effigie veſtigium, præ pluribus aliis, quæ deſultorio pede tranſiliiſſe, & neglexiſſe non ſinè delectu lux exiſtimabitur?

Denique in vitri encauſtici ſinum colligi cum radiis ſolaribus lux ipſa poteſt, & in flammas Archimedæo artificio, ad hoſtilis claſſis incendium diffundi poteſt: Idem ſi de ſpecierum propagatione & per virtutem Lucis graphicam impreſſione experimento irrefragabili monſtrari poſſet, illuſtrem lapidibus noſtris originem cum plauſu gratularemur.

CAPUT

CAPUT SEXTUM.

Seminium teſtaceorum & animantium marinorum vaporibus ab Oceano aſcendentibus immixtum, & cum pluviis in terras diſperſum, non eſt origo Lapidum noſtrorum Wirceburgenſium.

EDuardus Luidius, Vir Doctiſſimus & laborioſiſſimus, quo ipſum elogio Cl: Büttnerus *Coralliograph: ſubter: cap: 1. §. 17.* meritò honorat, ſyſtema ſuum de foſſilium marinorum origine, de quo ſupra cap: 3. egimus, ſubtimidè refert epiſt. 6. ad D. Joannem Rajum, tot tantáque argumenta in contrarium ſibi ipſi opponit, oppoſita adeò leviter ac perfunctoriè ſolvit, ant tranſilit, ut non alio meliùs telo, quàm proprio Authoris, paradoxam hanc ſententiam confici poſſe exiſtimem.

Quis enim ſemina tam longo per aëra tractu circumvecta, in matricem denique, geneſi & nativo eorum incremento propriam aut proportionatam deportari dixerit? Quo duce, quâ viâ, quo impetu duriſſimis ſaxis infunduntur? Quo artificio in tenuiſſimos denſorum lapidum poros, patefacto aditu ſeſe inſinuant? Aut ſi virtute quâdam magneticâ attracta imbibitáque recipiantur, undénam obſecro augmentum ſumunt figuræ ſuæ ſpecificæ obtinendæ & abſolvendæ, ab Authore Naturæ determinatum? Quâ celeritate & frequentiâ non in Britanniam ſolùm, mari undique circumfuſam, ſed in mediterraneas quoque Germaniæ interioris & à pelago remotioris plagas transferuntur? Cur partus marini non paſſim reperiuntur obvii, cum vapores ſeminio gravidi, & in pluvias reſoluti quaquàversùm ſe effun-

dant? Cur alicubi corpora effodiuntur integra, alibi particulæ & fragmenta tantùm & imperfecta marinorum animantium, teſtaceorum aut vegetabilium rudimenta? Si ſemina illa (ut ex Doctiſſimo Aſſalto arguere licet) terræ rupiúmque penetralibus immiſſa ita ibi foveri poſſe exiſtimet Luidius, ut animalcula edant, ut edita & excluſa ibidem nutriantur, creſcant, vivant, perficiantur, quis non videt hæc à conſtanti rerum naturalium ſerie ac ordine à ſummo mundi Opifice inſtituto plurimùm abhorrere & aliena eſſe? *Quis unquam in mari avem iis, quæ in aëre degunt, ſimilem ortam obſervavit, aut animal formam quadrupedis, veluti equi, aut leonis &c. ad amuſſim referens; Aut quis volantes in aëre piſces conſpexit, aut abſolutam perfectámque avem vel piſcem, vel quadrupedem ex ſtirpibus germinare animadvertit?* Hæc ac ſimilia evenire minimè poſſunt, quin immutabilis Naturæ ordo perturbetur, quod dicere aut credere abſurdum foret ac ridiculum: Multò magis abſonum erit, contendere ex intimis terræ rupiúmque viſceribus à ſemine per pluvias illuc delato, gigni lapideos piſces, conchylia, omniúmque penè aquatilium genera, adeò veris animalibus eorúmque partibus ſimilia, ut motu ſolùm ac vitâ inter ſe diſtent. *Cum enim varia ſit internorum organorum ſtructura, ac varia humorum craſis, pro vario animalium aut ſtirpium genere, hinc fit, ut tantum abſit, ut quælibet eisdem nutriantur, adoleſcant, & conſerventur, ut potiùs ſæpè ſæpiùs, quæ unum ſummopere recreant, aliud lædant ac perimant: Quamobrem, quæ plantæ in montibus latè proveniunt, in oris maritimis contabeſcunt, & è converſo, quæ locis paluſtribus turgent, in apricis ac ſiccis areſcunt, ac ſic de ſingulis: Idem quoque in animalium genere obſervatur, ut alia aliis cibis, locis, temporibus aliisque circumſtantiis delectentur, juventúrque.*

Ex quibus porrò concludit Vir perſpicaciſſimus, piſces, conchylia, teſtacea, cruſtacea, aliáque hujuscemodi in mari orta, ſi in ſemine alio transferantur, neceſſe

fore,

fore, ut corrumpantur & intereant, cum fieri nequeat, ut methodo ab Authore Naturæ deſtinatæ ubiq; conveniens fomentum, nutrimentum, & ſubſequens ex eo incrementum nanciſcantur. Quin potiùs rationi conſentaneum eſt, ſi ſemina hujuscemodi in lapidum aliorúmque foſſilium fodinas illabantur, ea à corroſivis mineralium ſalibus erodi ac diſſolvi, aut à lapideâ vel metallicâ materiâ circumfuſa ita opprimi, ut nec augmentum capere, vel dilatari poſſint.

Quæ de integris animantibus eadem de ſingulis eorum partibus ſeparatim inventis laudatus Author diſſerit. Repugnat enim præfixo rerum naturalium ordini & manifeſtæ experientiæ. *Quis enim*, inquit l. c. *avium plumas ſeorſim ab ipſis, quis leonum jubas, aut Elephanti proboſcidem, vel boum palearia, vel aprorum dentes, ab ipſis animalibus ſeparatos gigni, aut fructus, ſemina, cortices, vel folia ab ipſis plantis remota creſcere obſervavit?*

Non immoror ulteriori examini hujus fabellæ (ſic Luidianam hypotheſin Büttnerus nominat) id ſolùm aſſero, ut ut vera eſſent, quæ Doctiſſimus Anglus de Origine ἰδιομόρφων lapidum ingeniosè excogitavit, ea lapidibus noſtris minimè poſſe applicari.

Reperiuntur in monte noſtro præter recenſita in proëmio ac tabellis expreſſa inſectorum ſimulachra, quam plurimæ aliæ Zoolithorum & Lithophytorum ſpecies, quemadmodum ex ſequentibus ſpeciminibus noſtris patebit. Has verè marinas eſſe, ejusdémque planè formæ, texturæ, ſoliditatis ac perfectionis cum iis, quas Cl: Scheuchzerus cum ſequacibus ſuis reliquiis diluvianis accenſet, piſcium teſtaceorúmque marinorum exactiſſima expreſſio, armaturæ ſuperſtites, membrorum partiúmque articuli, ſucci petrifici adhærentes maſſæ, & ipſa lapidum durities, quæ diluvianis ineſſe ſolet, pyriten non rarò adæquans ac ſilicem ſuperans, ad oculum demonſtrant.

Horum ortum Luidius utique ſeminio cum vaporibus & pluviis in uterum terræ illapſo adſcribet. Verùm longè ab his diſcrepant lapides cæteri, de quibus quæſtio eſt, licet & horum multi marinorum inſectorum & teſtaceorum figuram non inconcinnè imitentur; Molles ſunt, fragiles, à priorum elegantiâ multum remoti, nullâ articulorum compage, nullo ſtructuræ interioris indicio ſpectabiles. Cur ſemen ejusdem planè inſecti & animantis, eidem homogeneæ glebæ injectum, eodem in loco ſub eodem cœlo & ſole cum tanto formatorum effectuum diſcrimine operatur?

Luidio de marinorum & teſtaceorum origine ſi non unicus, ſaltem præcipuus ſermo eſt, hinc eorum natales è mari petit. Lapides noſtri ἰϑιόφοροι, lumbricos, lacertas, veſpas, gryllos, muſcas, bufones, ranas, ſcorpiones, aves quoque & plantas cum floribus exhibent, quorum ſemina non mari Britannico, ſed fortè vaporibus è terrâ ejusmodi animantium aut vegetabilium patriâ exurgentibus, eadémq; ſecum elevantibus debemus: quod poſtremum neceſſariò dicendum eſt, ut ſyſtema Luidianum, marina ſolummodò reſpiciens ad lapidum noſtrorum geneſin poſſit applicari. Sed, cur cum iisdem vaporibus & exhalationibus terreis non pari motu attolluntur, & cum relabentibus pluviis humo illabuntur, majorum & perfectiorum animalium, ſive altilium, ſive ferarum in ſylvis aut morticiniorum caveis putrefactorum ſemina? Si eodem modò ſurſum deorsúmque cum inſectorum ſpermaticis effluviis feruntur, cur nullibi hæc matricem, cunásque ſibi congruas reperiant, in quibus cervum, vitulum, aprum, petrefactum offendere liceat, uti cancrum bufonem, aut erucam? Cur gleba montis noſtri tàm fœcunda præ aliis eſt, ut animantes non membratim infractas, aut earum partes tantùm aliquas, ſed ferè ſemper omnes integras, ac ut plurimùm ſecundùm definitam ſibi à Naturâ magnitudinem abſolutas

lutas edat? An hunc in locum liberaliores pluviæ non membrorum tantùm partiúmque aliquarum, ſed integri animantis collecta, miniméque diminuta aut diviſa ſemina deponunt? Cur animalcula & vegetabilia, licet integra & abſoluta, non tamen ſolitaria, & à matrice ſuâ excluſa procedunt, ſed quaſi dimidiâ ſuî parte lapidibus immerſa, imò cum ſaxis continua & indiviſa, in externâ ſolùm ſuperficie protuberant, reliquâ ac inferiore corpuſculorum baſi unam cum ſubſtratâ materiâ informem maſſam conſtituunt? An ſeminis, an matricis in elaborando fœtu activa fœcunditas deficit? Cur vicini vitiferi colles, aliíque Wirceburgo adjacentes, à me curiosè luſtrati, & ex eadem cum monte noſtro Lithophoro terrâ lutosâ, arenosâ, margaceâ compoſiti, iisdem imbribus ſeminum imbibitorum feracibus perfuſi ſimiles partus non producunt? Si non omnis fert omnia tellus, cur eadem ſaltem iisdémque cauſis ac principiis adjuta eosdem effectus non parit? Quis vapor glebæ Franconicæ conchæ marinæ ſemen, quis eidem conchæ bufonis ſemen conjunctione tàm mirabili intulit, ut uno eodémque partu lapis luteus aut calcarius incluſum benéque formatum Pectiniti bufonem eniteretur?

Mitto hæc aliáque complura lapidibus noſtris Idiomorphis propria & ſpecialia, quæ in ſequens caput rejicio; Id ſolùm ſeminalis hypotheſis Authorem conſultum velim, an ſua Soli, Lunæ, Stellíſque cæteris ineſt fœcunditas? An ſemine propagantur, quod neſcio, quo caſu, fortè ex Luidianâ putreſcentium ſtellarum mucedine ex æthere in montem noſtrum præceps, amiſsâ naturâ igneâ, in ſaxeos aſteriſcos, Cometas, Solem & Lunam degenerârit? Riſum teneatis Amici! Tunc nimirum terra feret ſtellas, ſimili cum Animantibus & vegetabilibus propagine natas, cum cœlum findetur aratro. Dic, præterea, & eris mihi magnus

Apollo, dic quibus in terris naſcantur Nomina Summi Numinis inſcripti lapides, quos *Litteratos* appellant Lithographi, ſacræ linguæ characteribus elegantiſſimè notati? An Artis, an Naturæ ludentis, aut per ſemina operantis, aut ſalium in figuras characteriſticas ſeſe diſtorquentium opus ſunt?

Deficit hîc profectò hypotheſis Cl: Luidii, & quisquis primi hujus ſpeciminis noſtri Tabellam tertiam accuratiùs inſpexerit, aliam Iconolithorum exhibitorum originem, ex aliis principiis petendam nobiſcum judicabit.

CAPUT SEPTIMUM.

Semen in emortuis corporibus relictum, aut in putrefactorum mucedine ſuperſtes, ac per ſubterraneos meatus & ſaxorum fiſſuras diſtributum cum vi ſuâ plaſticâ, vel aurâ ſeminali à ſpiritu lapidifico adjutâ, non eſt cauſa formatrix Iconolithorum Wirceburgenſium.

QUemadmodum Luidius Zoolithorum & Lithophytorum marinorum ſemina ex oceano per vapores in pluviam reſolutos, ſic eadem provehentibus undis per ſubterraneos meatus in continentem deducit Cl: *Langius*, per fiſſuras petrarum & fodinarum ſinus diſtribuit, imò ad ipſam terræ ſuperficiem in altiſſimos montes propellit, ibidémque ad ſaxi figurati geneſin Magnetiſmo, aurâ plaſticâ vel ſeminali, ſpiritu petrifico ſuppetias ferentibus, aut, ſi ita dicere licet, obſtetricantibus, belluam, vel plantam lapideam in lucem protrahit. Impugnatur hæc hypotheſis iiſdem argumentis, quibus præſtantiſſimi Lithographi, Scheuchzerus, cæteriq; oculatiſſimi Viri Luidianam non multùm abſimilem convellunt. Horum præcipua paulò antè ex Celeberrimi Aſſalti notis *ad Armarium nonum Metallo-thecæ Vaticanæ cap: 2. pag. 220.* excerpſimus, quæ fuſiùs relata ab Authore ibi invenies. Non poſſum tamen etiam hoc loco mirari ingentem virtutem Auræ plaſticæ, vel Potentiæ ſeminalis, quam ſingulis animantium ovulis, ex quibus pleraque, ac ipſas plantas naſci ſtatuit, ineſſe, & per omnes eorum partes expanſam comminiſcitur *cap: 1. de Origine lapid: figurat: pag: 42. Hanc*, ut ex mente Luidii Langiíque refert laudatus Aſſaltus *l. c. ſingulis corporibus ineſſe exiſtimant, quæ veluti quâdam ſuſceptâ provinciâ ovulorum fluida impellat, tubulos patefaciat, ac nutrimen-*

tum aptum extrinſecùs adveniens ſeligat, admittat, ac per omnes partes appoſitè diſtribuat: quo fieri poſſe exiſtimant, ut dicta ovula non magis intrà maris undas, quàm inter margam, arenam, & ſaxa, ſuſcepto convenienti alimento ſalino-nitroſo, quo dicta loca ſcatere affirmant, ad eorum nutritionem apto, augeri, atque in perfectam animalis figuram adoleſcere, tum ob vim plaſticam omnia diſponentem, tum ob congruentem ovulorum ſtructuram, tum ob alimenti particulas facilè aptis partibus adhærentes. Quàm ſtupenda facultas Auræ formatricis! Quæ animæ locum obtinens, non ſolam viventium in ſe ideam continet, ſed eandem velut Architecta, & Artifex operis in rudem materiam inducit. Nova hæc metempſychoſis eſt, Pythagoricâ mirabilior, quod hæc animam ſpiritúmq; ad corpus jam formatum in meritorum pœnam vel præmium releget, illa verò æthcream animulam ovulo inſitam, & ſaxeo terreóve duriſſimo carceri incluſam, ſuum ſibi domicilium ex adſcititiâ eâque peregrinâ materiâ fabricare affirmet.

Aura hæc ſeminalis & plaſtica utiq; corporea eſt, & ita in partes diviſibilis, ut neutiquam ſit tota in toto, & tota in qualibet parte ovuli aut ſeminis corporei. An omnes Auræ hujus mirificæ partes tantâ virtute pollent, ut ſingulæ, plantæ aut animali integro efformando ſufficiant? An ſingulis corpuſculi animandi articulis, membris, partibúsq;, figurâ, ſitu, qualitate inter ſe diſſidentibus ſpecifica auræ plaſticæ pars præſidet, cujus facultas ultrà determinatam hanc fœtûs inſoliti ſtructuram ad alias ſe non extendat? Si primum aſſeris, cur dentes Lamiæ piſcis, vel ſic dictæ Gloſſopetræ, acephala plerúmq; Ammonis Cornua, ſpinæ aut pinnæ piſcium, folia ſinè ramis & ſtipite, trunci ſinè radicibus, ſinè arbore fructus reperiuntur? An cœpti laboris pertæſa ignava opifex ab opere deſtitit? An matrix congrua, & ſuccus alimentitius proprius defecit pro reliquis inchoati portenti artubus? Cur dentem, linguam, folium aut fructum perfecit potiùs, aut pro Architecturæ ſuæ exordio delegit formatrix Potentia, præ capite, maxillâ,

arbore,

arbore, aut radicibus? Si ſecundum affirmas cum Cl: Langio l: c: cap: 1. pag: 37. ita differente: *Aura ſeminalis non in omnibus corporis viventis partibus eadem eſt, licet per omnes æqualiter ſit diffuſa, nam probabiliter à Deo cuilibet parti peculiaris aura ſeminalis indita eſt, mediante cujus vi plaſticâ, naturalis ejus ſubſtantia ac determinata ſtructura ex ſucco nutritio per accretionem augetur, per nutritionem verò conſervatur, quo fit, ut in animalibus v:g: ſuccus nutritius in carne carni, in oſſe oſſi, in membranâ membranæ, in glandulâ glandulæ, in ſanguine ſanguini aſſimiletur, in vegetabilibus autem in radice radici, in caule cauli, in flore flori &c. hâc ſemper lege, ut cujuslibet partis tam internâ naturali ſtructurâ, quàm externâ formâ in omnibus ad amuſſim ſecundùm innatam propriæ naturæ exigentiam progignatur &c.* Hæc ille, quaſi deſumptâ à partialibus peripateticorum formis, vel aliorum fermentis particularibus metaphorâ, de Aurâ ſeminali in ſingulis partibus virtutem heterogeneam exerente. Verùm quo caſu, quâve fortunâ contigit, ut in montem noſtrum tot auræ ſeminalis particulæ cum ovulis & ſemine conjunctæ, nullâq; vel aëris, vel ventorum, vel aquarum per occultos telluris canales irrumpentium violentiâ ſeparatæ ac disjunctæ illapſæ ſint, & in ſingulis ejusdem montis hiatibus ac cavernis, tot, iisdémq; diverſis in iis deliteſcentibus materiis, & lapidibus arenoſis, lutoſis, limoſis & calcariis imò ſiliceis & marmoreis cunas matricémque, cum ſucco nutritio tàm accomodam, & in adventum coloniarum & hoſpitum exoticarum ex providâ Naturæ ſolicitudine reſervatam invenerint, ut inſecta, ſi pauciſſima excipias, animantia, ac teſtacea omnia integra, & in præfixa ſibi ab Authore Naturæ magnitudine abſoluta inveniantur? Cur in lapide limoſo concham marinam, in conchâ bufunculum (ut proximè oſtendemus) omiſſo proprio conchylii incolâ aberrans Aura plaſtica produxit? Quis ovulo conchæ ſemen bufonis intulit? Quâ ratione aut bajulis vaporibus & imbribus, aut hydrophylacii ſubterranei ductu hunc in locum deportata ſunt volucrum, quas hîc in tabulâ IV.

exhibemus, ovula? Cur ovum non prius in lapidem tranſiit, quàm pullus indè excluderetur? Cur ſuccus petrificus in avem potiùs jam perfectam vim ſuam exeruit, quàm in ovulum in cortice teſtaceo ſibi jam proportionatum? An ſenſim ſinè ſenſu abſoluta volucris fabrica naturam lapidis induit, an tota ſimul, quaſi momento in ſaxum indurata eſt? Cur ſceleton petrificari potuit præ pennis & carnibus, quas in hâc ipsâ Tabulâ diffluxiſſe conſpicis? Cur Aura plaſtica in uno ovulo fœcunda pullum excluſit, in reliquis verò ſterilis & iners cum ovo potuit lapideſcere?

Hæ ſanè difficultates ſyſtema *Langianum* in lapidibus noſtris reddunt prorſus ἀδύνατον, adeò, ut hoc loco neceſſe non ſit provocare ad littèratos & characteribus inſignitos lapides, quos Tabula VII. oſtendemus.

Ad obſervationes, quas Doctiſſimus Langius *lib: 2. De orig: lap: fig: cap: 1.* de generatione viventium in genere & *cap: 2.* de generatione teſtaceorum, quæ potiſſimùm à lapidibus figuratis repræſentantur, & *cap: 3.* de eorum nutritione & accretione, ac demùm *cap: 5.* de viventibus à ſubſtantiâ lapidum longè alienis, & tamen intrà ſaxa natis, item *cap: 6.* adducit, cum laudato ſæpiùs celeberrimo Aſſalto reſpondeo : *Ea, quæ de carne foſſili, de cornibus animalium intrà terram creſcentibus, aliìsque ſimilibus à nonnullis narrantur, pleraque ad fabulas eſſe rejicienda : ſæpiùs enim accidit, ut apud naturalium rerum ſcriptores ut plurimùm veritas, nonnunquàm etiam fides deſideretur; ii enim aut aliorum dictis temerè credentes, aut in ſuis obſervationibus non ſatis oculati ad falſa ſcribenda ſæpiùs inducuntur.*

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

Evidenter oſtenditur, Zoolitha, Lythophyta & nonnulla teſtacea noſtra, quantumvis marinis fœtibus ſimillima, â marinis undis, nec in diluvio univerſali, nec per occultos terræ meatus in montem noſtrum deportata, & lapſu temporis petrificata eſſe.

JAm ſupra cap: 6. dixi, reperiri in monte noſtro præter lapides controverſos, inſectorum & animalculorum imaginibus inſignitos, ingentem etiam Cornuum Ammonis, Pectinum, Pectunculorum, Muſculorum, Oſtrearum, Cochlearum, Concharum, Stromborum, Turbinum marinorum, teſtaceorúmq; lapideſcentium frequentiam, quæ cum-& ſinè armaturis ſuis partim ſolitaria, partim matricibus incluſa, ex quibus ope mallei facilè excutiuntur, partim in unam lapideam, maſſam duriſſimam compacta & coägulata (ποικιλόσπερμον græcè nonnulli vocant) videntur. Hæc ubi polita eſt, marmor elegantiſſimi coloris exhibet, cum conchis ipſis marmori immerſis, ſed ex politurâ lævibus, & venarum macularúmq; marmorearum vicem, cum magno oculorum oblectamento obeuntibus: Quæ omnia ultrà multorum millium numerum excreſcentia univerſali totius orbis inundationi, ceu triſtes, certas tamen Diluvii teſtes nos debere, cum Cl: Scheuchzero, & integra Doctorum claſſe, quos Langius in tract: de orig: lap: fig: cap: 9. refert, iíſque Tertullianum ipſum, textu aperto adnumerat, perlubenter fatemur. Quodſi tamen diluviana hypotheſis de lapidum figuratorum origine nonnullis diſpliceret, è mari nihilominùs partus ejusmodi, quos nunquam fontes aut flumina domeſtica protulerunt, in montes, cryptas, fodináſque per meatus ſubterraneos delatos, cum laudato ſæpiùs *Aſſalto* dicendum eſt, cujus diſ-

curſum à ſyſtemate diluviano diſcrepantem huc tranſcribendum duximus. *Licet quis ultrò fateatur*, inquit contra ſeminales plaſticos, *hujuſmodi animalia ex Diluvio univerſali reliqua fieri non potuiſſe, non exindè colligitur, omninò repugnare, aliâ etiam ratione nobis vel notâ vel ignotâ, hujuſmodi corpora è patriis ſedibus pulſa in alienas ablegata fuiſſe. Quod enim ad Inſulas aliáque loca à mari non multùm diſtantia attinet, in quibus prædicti lapides reperiuntur, veluti in Siciliâ & Melite, hiſce rebus ditiſſimis, veriſimile admodum eſt, ea quondam ſub marinis aquis penitùs latuiſſe, ut de Ægypto, déque Rhodo, Delo, aliiſque Inſulis ſcriptores graviſſimi teſtantur, vel ſaltem aliquâ particulari alluvione olim fuiſſe demerſa. Quod quidem multis circumſtantiis comprobatur: námque in iis locis, in quibus lapides iſti effodiuntur cernere licet innumera teſtacea, piſces, plantas atque alia, quæ nonniſi in mari gignuntur, imò & ipſius maris fundi limoſam materiam, Echinorum nimirùm diverſa genera, Conchylia, Cochleas, Oſtrea &c. Corallia, Madreporas &c. quæ quidem inter ſe variis modis permiſta comperiuntur, partim integra, partim in fragmenta comminuta, ita, ut facile cognitu ſit, ex quibus prædicta fragmenta ſint divulſa: Nam paſſim reperiuntur cancrorum chelæ, echinorum fractorum modioli, aliáque hujuſmodi non longè à cancris & echinis, quorum ſunt partes, jacentia. Quamobrem nihil probabiliùs eſſe videtur, quàm omnem hujuſmodi rerum congeriem à marinarum aquarum vario motu agitatam, atque invicem confuſam, ac terris impactam quondam fuiſſe. Ad plagas autem longo intervallo à mari diſſitas, ac ſupra ipſius libellam extenſas, hâc ratione marinâ tranſiiſſe probabile eſt. Communis fert ſententia, marinas aquas, non ſolùm externam globi terr-aquei ſuperficiem occupare, verùm per internos quoque terræ meatus ferri ac undequaque, etiam ad remotiſſima ac mediterranea loca ſubterlabi, quod & ii, qui ſemina piſcium, unâ cum vaporibus efferri, atque ab aurâ plaſticâ affectos in lapides idiomorphos creſcere aſſerunt, concedant neceſſe eſt. Itaque fieri potuit, ut aquæ paulatim montium viſcera pervadentes terram ſolverent, motúque ſubducerent, quam ob cauſam terrea moles aquæ ſuperſtans labefactatis denique*

ſummo-

ſummotiſque veluti fundamentis corrueret : hinc aqua infrà poſita terræ ruinâ compreſſa ſursùm pelleretur, unâque ſecum magnam teſtaceorum vim aliorúmque repentino motu abreptam, ac confuſam adveheret : aut terræ motu quacunque de causâ excitato omnia ſubverti, perturbari, atque ima cum ſummis permiſceri ac confundi facilè potuerunt &c. Ex quibus rectè inferre licet, quod à marinis undis ſivè in Cataclyſmo univerſali ſivè ex Authoris Naturæ inſtituto terram per vias occultas interſecantibus (quod unanimi conſenſu admittunt ii omnes, qui origines fontium fluminúmque oceano tribuunt) ad montes noſtros teſtacei, imò pelagiani etiam ejusmodi fœtus ſint deportati.

Longè aliter ſe res habet cum lapidibus controverſis, qui verè ἰδιόμορφοι, id eſt figurâ peculiari, diverſo ut plurimùm colore, materiâ, ſoliditate, ac duritie, cæteríſque attributis ſeſe à reliquis marinis petrefactis diſtinguunt. Ea, quæ à diluvio univerſali vel particulari alluvione aut ſubterraneis oceani effuſionibus orta & relicta ſunt, ſive illa, quæ glutinum ſaliúmque terreſtrium operâ lapſu temporis in lapides tranſierunt, ita conſtituta ſunt, ut plurima ſuas adhuc armaturas, teſtarum ac corticum particulas, ad quas ſuccus petrificus non pertigit, illæſas retineant, interioris verò ſtructuræ ubi illa perfregeris, manifeſta veſtigia deprehendantur. In illis enimverò Cornua Ammonis ſivè ſtriata, ſivè undulata, ſivè tuberculis aut ſquammis non in pronâ tantùm, ſed & ſupinâ ſuî parte ſibi ſimillima ſunt, undulis, ſtriis, articulíſque totum corpus intimè permeantibus, cum irrefragabili factæ petrificationis indicio : Econtrà verò inter controverſos ejusdem montis incolas, v.g. Cornu Ammonis non ſpinatum, quod Tab: 5. exhibet, in ſupernâ facie læve eſt (notas graphicas excipio, quas nec mari, nec diluvio adſcribes) in inferiori ſuî parte ſtriis ſulcíſque diſtinctum, & anteriori ſtructuræ prorſus diſſimile, intùs verò ſinè ullo articulorum, juncturarum, vel concamerationum veſtigio, maſſa

lapidea eſt, & omninò informis. Idem notatur in cæteris omnibus Zoolithis & Lithophytis noſtris, quæ dimidiâ ſuî, & quidem ſuperiore corporis parte figuram animantis aut plantæ exprimunt, reliquâ parte immerſa lapidi, unam cum ipſo homogeneam maſſam conſtituunt, ut ſuprà cap: 2. diximus: Non igitur marinis petrificatis accenſeri poſſe videntur.

Bufunculi, Ranæ, Lacertæ, Veſpæ, Apes, Grylli, Scarabæi etiam cornuti, Scorpiones, Erucæ, & his ſimilia inſecta, ut facillimè naſcuntur, ita pari celeritate diffluunt, & intereunt. Incredibile autem eſt animalcula iſta putredini ac diſſolutioni ſuæ tam obnoxia vehementiſſimâ marinorum fluctuum jactatione, ſivè diluvianâ, ſivè ſubterraneâ illæſa conſervata, & ſenſim in lapides indurata fuiſſe. Aut, cum mare beſtiolarum iſtarum Patria non ſit, ac indè transferri non potuerint, quis prudens opinabitur, eas ab oceano quacunque demùm viâ in continentem effuſo, fortuitò deprehenſas, ac in ſolo nativo eum in locum projectas fuiſſe, ubi lapides induerent?

Diluvium, ut probabilior Doctorum tam Theologorum quàm Lithographorum opinio à Scheuchzero in *Herbario Diluviano* relata habet, in Vere, & quidem Menſe Majo contigit, quod flores & folia, non fructus maturos parit. Quâ igitur ratione malum Armeniacum perfectum & integrum cum nucleo, membranâ & cortice, glandes maturas ex tenui querno ramuſculo pendentes in Franconiam diluviana tempeſtas mirabili prodigio advexit?

Plantæ, Flores, Herbæ, quas in Tabula VI. conſpicis, præterquam, quod domeſticæ, non exoticæ, minùs marinæ ſint, tenerrimæ naſcuntur, & vel pruinâ, vel pluviâ vehementiore proſtratæ ac enectæ laxant folia & intereunt. Has à Diluvio lapidi alliſas, tempus paulatim ultrà denſitatem ſibi debitam in lapides transformârit?

An

An adhærentem floſculo Apem, Veſpámve tam violentus aquarum motus avellere à floridâ papillâ non potuit, quin fixo ſpiculo & acuti roſtelli proboſcide, ceu clavo trabali affixa, & immobilis cum ipſo flore lapideſceret? Idem dixeris de cellis nidulíſque veſparum, quæ ſtructuræ fragilis, & tantùm non cereæ ſuperatis aquarum ſalſarum aſſultibus, firmiores prodierint in ſolidiſſima ſaxa transmutatæ.

An cum apertis cœli cataractis depluæ ſtellæ in lapides noſtros Aſtroitas, Heliophoros, Selenitas, & Cometitas abierunt?

Deniq; totum diluvianarum & marinarum aquarum impetum reticulatæ aranearum telæ non ſiſtunt modò, ſed & infringunt. Groſſior textura eſt, ut in Tab: X. vides, quàm ut Palladi moveret invidiam; Suſpenſam ad muſcarum inſidias aut alibi in telâ pertexendâ occupatam Arachnen ſuſtinet. Huic, quam aër diſſipat, quam Papilio & Muſca dilacerat, pepercit undarum vis, imò ex aëre libero in tabulam ſaxeam ſitu tam ordinato, proportionato, ac lapidi commenſurato tranſtulit, ut perpetuum fieret Arachnæi artificii monumentum?

Quid verba perdo! Nemo prudentum eſt, cui vel levis incidere poſſit ſuſpicio, Iconolitha noſtra marinis undis, ſivè in Diluvio generali, ſivè alio canali ex oceano deductis eſſe petrificata. Ex hâc tamen, quam præſenti capite inſinuavimus, lapidum noſtrorum ſpecificorum & controverſorum cum veris diluvianis & maritimis in eodem monte repertis oppoſitione, ſcioli quidam, & in Studio Lithographico peregrini ac hoſpites ſiniſtrè & perperàm inferunt, hos quidem genuinos diluvianos, illos verò manu artéque & quidem recenti factos & ſuppoſitos eſſe: quos ut confutem confundámque ſuo loco, ſuis ipſi cavillationibus, ſparsíſq; quaquàverſùm falſis rumoribus & narratiunculis, animo malevolo confictis, invitum me coëgerunt.

CAPUT NONUM.

Si Lapides noſtri non Artis, ſed Naturæ opus ſunt, in iis formandis nec Natura ipſa, nec fictitius Archæus per Geocoſmum diffuſus luſit.

Athanaſius Kircherus Societatis Jesu, in admirando opere ſuo, cui Titulum *Mundi ſubterranei* dedit, & ex quo ceu fonte non pauci Recentiores Lithographi ſuas de Origine lapidum ſententias hauſerunt, & amplificatas ediderunt, lib: 8. ſect. 1. pag: 37. inter quatuor præcipuos modos, quibus figuras in lapidibus oriri exiſtimat, primo loco ſtatuit *caſum fortuitum.* Non injucundum Lectori erit, cui præſtans & pretioſum opus ad manum non eſt, verba ſagaciſſimi & indefeſſi in regno Naturæ inveſtigando Viri apponere; *Noverit*, inquit, *Lector, quod quemadmodum phantaſia hominum, dum cœlum varietate nubium obductum videt, varia ſibi, nunc Dracones volantes, jam naves, modò montes, urbes & caſtella, nunc cruces, modò humanas figuras, & ſimilia phasmata ex nubium incompoſita repræſentatione imaginantur: ita quoque vel in ſputo in terram conjecto notamus aliquid figurari, quod modò huic, modò alteri rei ſimile eſt. Imò in itineribus videntes montium ſub certâ figurâ protenſionem nunc menſam concipimus, uti promontorium Bonæ Spei, nunc ſub vultu humano, ut Scyllæum promontorium Siciliæ, nunc hominem ſupinè proſtratum, ut in Apennini Camertenſium monte ...., ſubindè ſaxa & frutices rupiúmque fragmenta effigiem humanam ſub numiſmatis figurâ oſtendunt, uti Panormi Mons, qui à figurâ vulgò dicitur, monte de medaglia ... Videas & in rudibus laterum coctorum ſuperficiebus varia inſectorum, volucrum, aliarúmque rerum veſtigia, quæ tamen nullo à Naturâ fine intenta ſunt, ſed ob ſimilitudinem quandam rerum, homo ſibi talia eſſe imaginatur. His itaque ſibi propo-*

propoſitis jam quæri meritò poſſet, undè tanta imaginum in lapidibus ſpectra originem ſuam ſumpſerint? Reſpondeo omnia hæc nata eſſe ex fluore ſalini liquoris, qui ubi terrenam & appropriatam ſubſtantiam adhuc mollem, & ſiccitate jam ingruente in multas rimas & ſinuoſos ductus fatiſcentem ſe inſinuaverit, uti in marmoribus videre eſt, fit, ut ibidem ſpiritu lapidifico ſucceſſu temporis omnia ſimul in duram & ſaxeam molem coaleſcant, ita pro rimarum fiſſurarúmque conſtitutione fluor inſinuatus, jam pulcherrima flumina, jam ramoſas arbores, modò volucris aut inſecti, aut quadrupedis formam, aut etiam humanam effigiem vel ſaltem aliquod humani corporis membrum, eo modo, quo poteſt, & pro diſpoſitione materiæ jam ſiccitate in varias & rimoſas vacuitates fatiſcentis, delineat ...... Eſt & aliud hujus rei non leve argumentum, fortuito & caſuali fluxu conſtituta eſſe ſimilia phaſmata, quod vix ulla ex iis, quæ animalis figuram mentiuntur, forma perfecta ſit, ſed ſemper aliquid ad integram figuram requiſitum (ut in capitibus vel oculus, vel naſus, in brachiis manus digitique, in tibiis pedes, quod pictorum ut plurimùm induſtria emendat, deeſſe comperiatur) ita, ut non tàm, quid reverà ſint, quàm quid phantaſtica facultas ea eſſe ſibi imaginatur, judicemus, quemadmodùm paulò antè de nubibus, montibus, ſputo, cæteriſque rebus diximus. Ecce! genuinam & candidam Viri Eruditiſſimi ſententiam de lapidum figuris, caſu fortuitò natis, aut ex phantaſiæ ludibrio ad hanc vel illam ſpeciem determinatis, ex quâ ſuam in Ludiones cenſuram deprompſiſſe videtur Cl: Büttnerus *Coralliograph: ſubterran: cap: I. §. IX. & ſeqq:* cum ait: *Fabula eſt, Naturæ? retraho: Phantaſiæ humanæ viſu abutentis .... à judicio deſertæ, confuſæ, præoccupatæ, vel etiam credulæ imò mimulæ .... quando imaginatio ex apparentiâ rerum fallitur & fallit.*

Quod caſum fortuitum Kircherus, id Recentiores paſſìm *Naturæ*, gratiosè errantis *luſum* appellant, quem in marmore, achate, radicibus nucum, aliíſque multicoloribus ſaxis ligníſq; admittendum eſſe non diffiteor, tunc maximè, cum imagines aut pictæ, aut ductis ſolùm extremis

tremis lineis deſignatæ, ut in Dentritis Eichſtadianis, aliſque à Doctiſſ: Kirchero exhibitis, & à Cl: Scheuchzero in Herbario ſuo Diluviano de Dentritis clariùs explicatis, non verò ſculptæ, in altitudinem notabilem erectæ, aut ſolitariæ omninò figuræ, ſinè ſubſtratâ, cui adhæreſcant, tabulâ, deprehendantur. Sed quis in lapidibus noſtris Naturam ſic ludere dixerit, in quibus corporum ex omni Naturæ etiam ſuperlunari regno collectorum (ſi corporis humani formas integras nondum hactenus repertas dempſeris) ectypa ita expreſſa perfectáque conſpiciuntur, ut non ſolæ lineæ, ſed ſtatuæ totæ vel undiq; conſummatæ, vel ſaltem dimidiâ ſuî parte ita elevatæ ſeſe oſtendant, ut ſcalpri artificioſi ductus, ſtrias, ſciſſuráſque te in multis obſervâſſe jurares.

Naturæ luſus rarò prominet, & vix attollitur, ſed cum lapide æquabilis, lævis, & continuus eſt, ac in eâ ſolùm materiâ, in eo ſolo & patriâ reperitur, ubi colorum, tincturarum, ſalium, ſuccorúmque diverſitas in terræ ſiccæ hiatus & rimas inſinuata, occaſionem & anſam dedit, tam bellè aberrandi. Plerique noſtri lapides, ſivè calcarii, ſivè lutoſi, ſivè arenoſi, unius texturæ & coloris præfatis lapidibus proprii, ſunt, unde Naturæ, ludere aut ludendo pingere volenti, Kircheriani ſales & tincturæ defecerunt. Marmorum, quæ pariter hîc magno numero invenimus, ut cap: præced: diximus, figuræ, ornamenta, & coloratæ maculæ, ſunt concharum, cortici externo inhærentium, & ipſi duriſſimo marmori aut etiam ſilici immerſorum, exuviæ, reliquiæ, veſtigia, ut ocularis experientia demonſtrat.

Idiomorphi Lapides, in quibus Natura luſiſſe dicitur, ejusdem omninò claſſis ſunt, nec ubivis terrarum effodiuntur, ſed iis ſolùm in locis, quæ ſimilis materiæ, à Kirchero deſcriptæ, ſunt feracia: Wirceburgenſis ager, imò Franconia tota montem unicum habet (alium enim ſimilium portentorum feracem nondum in terris noſtris, fortè nec in exteris detegere licuit) in quo præter marmoreæ

moreæ indolis, diverſiſſimarum ſpecierum lapides ex arenâ, limo, lutóque coagulati & compacti, iisdem tamen formis, animantium vegetabilium, characterum, nullo inter materiam facto diſcrimine notati inveniuntur. Quomodò hîc promiſcuè, ſinè delectu, ſinè ſufficienti apparatu, novo & Lithographis hactenus incognito prodigio Natura luderet?

Ad Tabulas, & expreſſas in iis Iconolithorum Wirceburgenſium imagines, ceu apertiſſimas aſſertorum Teſtes, iterum provoco: Unicam Tabulam, eandémque Numero VI. huic capiti appoſuimus, Lithophyta elegantiſſimè referentem. An luſit Natura, dum *malum Armeniacum* omni ex parte perfectum, maturum, ſed petrificatum protulit? Dum *Tuſſilaginem* in folio, *Ranunculum & Plantaginellam* in foliis, caule & radicibus tam plenè floreſcentem & germinantem effigiavit? Dum Veſpam dulcis pabuli illicio ad florem radiatum Chryſanthemi aut Bellitis attraxit? Dum *querno ramuſculo glandes* appendit? Cur colorem neglexit in his, quem aliàs in marmore, Achate, Dentrite qualicunq; tam ſolicitè miſcet & adhibet? Cur in cæteris luſibus ſuis teſte Kirchero, deficiens & imperfectas figuras delineans, in his aliíſque noſtris tam Zoolithis, quàm præſentibus Lithophytis, ultrà debitam plantis ac foliis craſſitiem excedens, nativam tamen magnitudinem diminuit, detractura in uno, quod in altero liberaliùs profuderat?

Raticonari diutiùs in argumento ad oculum manifeſto piget, ne & ipſe cum verborum & temporis jacturâ ludere videar.

CAPUT DECIMUM.

Exhibetur Decuria Lapidum noſtrorum, characteribus potiſſimùm Hebraicis inſignitorum, eorúmq; ſuccincta ex mente nonnullorum expoſitio.

INter figuratos lapides ii præ reliquis majorem attentionem, altiorémque indaginem merentur, qui variarum linguarum characteribus notati, à Lithographis *Lapides Litterati*, *Grammatiæ*, *Polygrammi*, *Grammitæ* vocantur. De his ſcribit laudatus Kircherus lib: 8. Mundi ſubterranei cap: 8. ubi ait, in agro Tolfenſi repertum lapidum quoddam genus cæruleum, in quo candidis, iíſque ſubtiliſſimis lineis, quidquid figurarum excogitari poterat, à Naturâ deſcriptum conſpiciebatur. *Inveni*, inquit, *non Græci tantùm, ſed & Latini Alphabeti litteras omnes, præterea omnia ferè ea ſimplicium figurarum ſchemata, quæ Euclides in ſuis Elementis Geometricis demonſtrat.* Cl: Aſſaltus Armar: IX. locul: VIII. Metalloth: Vaticanæ adducit ſilicem procerum, candidum, teretem, litteris I. D. nigerrimo colore deſcriptum; Cui accenſet Grammatiam Plinii, Smaragdo ſimilem, & transversâ lineâ albâ præcinctum, ac toto fermè Oriente pro amuleto gèſtari ſolitum. His fortè annumerari poterunt Grammitæ micantes Cl: Langii, de quibus diſſerit cap: 5. Hiſtoriæ Lapidum figuratorum Helvetiæ, qui characterum loco plurimis lineis variæ magnitudinis inſigniuntur, *quæ per ſuperficiem lapidum modò ſeparatæ diſperguntur, modò hinc indè plures colliguntur, & aliquando in medio etiam ſeſe interſecant, appellantúrque micantes, quia tota ſubſtantia eorum micis, ſplendóre ſuo auro argentóve ſimillimis inſtructa eſt.* Fuſiùs Cl: Helwingus Lithographiæ Angerburgicæ parte ſecundâ, cap: 2. per totum de Origine Lapidum figuratorum in genere, & cap: 2. de Lapidibus Litte-

Litteratis in ſpecie tractat, ibidémque unicè examinat Lapidem Reſavienſem, imagine Lunæ Orientis, & characteribus latinis majuſculis L.V.R. inſignitum, de quo varia præmiſerat Lithograph: Angerb: lib: 1. cap: 5. §. 9. notátque ſingulariter, quod inter primam & ſecundam Litteram, Lunæ falcatæ phaſis cum ſuis corniculis, & circuli reliquâ parte apparente juſtâ proportione appareat, & reliquæ lapidis partes Pectunculis, Trochis, & Entrochis lapidi immerſis repletæ videantur, ramo vegetabili à dextris aſſurgente. Ibidem alios adducit litteris I. C.W. & E. A. G. V. L. item G. E. V. L. inſcriptos, quibus initiales characteres nominum Virorum, quos allegat, honoratiſſimorum exprimi arbitratur.

Hi omnes à Polygrammis Wirceburgenſibus maximè in eo differunt, quod Lapides noſtri characteres potiſſimùm prominentes, elevatos, & quaſi exſculptos, illi verò læves, cum ſuperficie lapidum planos, immerſos, & quaſi Naturæ ſcribentis manu pictos repræſentent. Quanquam laudatus Helwingus tum l: c: tum part: 2. Litho: Angerb: pag: 46. etiam characteres Latinos & Græcos in lapidibus prominentes, & debitâ proportione extantes recenſeat.

Inſpiciamus nunc *Tabulam VII.* hîc appoſitam, & lapides ſingulos cum inſcriptionibus ſuis eo ordine, quo collocati ſunt perluſtremus. Obſervandum occurrit 1° comparere hinc indè characteres ſolitarios, alibi integra ſubjectis aut omiſſis punctis vocabula. 2° Characteres alii exactè ad orthographiæ regulas expreſſi, alii ruditer, inconcinnè, ita ut difficulter dignoſci queant, formati, quod an ſic dictæ Naturæ vel Artis imperitæ vitio contigerit, nondum decido. 3° Litteræ in vocabulis transpoſitæ, inverſæ, & aliquando obliquè projectæ cernuntur. 4° Characteribus Hebraicis intermixti ſunt Samaritani, Rabbinici ſivè, ut vocant, Babylonici, & in aliis lapidibus noſtris Litteratis, quos numero non mediocri adhuc-

dum poſſideo, Arabici, Latini, cum notis numeralibus. 5o Varii characteres & vocabula non lapidibus nudis, ſed Pectinitis, Conchitis, Turbinitis, Cornuum Ammonis, aliáſque figuras referentibus inſcripti ſunt, non ſemper extantes, ſed aliquando inciſi & profundi, ut in Tab: V. & præſente videre eſt: Quæ omnia expoſitionem obſcuriorem faciunt & difficiliorem. Communicata ſunt Viris Linguarum Orientalium peritiſſimis varia Grammatiarum Noſtratium ectypa, qui, licet in expoſitione Litterarum ſolitariarum, aut inordinatâ earum methateſi explicandâ, aut planè hæreant, aut ſentiant diverſa, in eo tamen unanimiter conveniunt, Sacratiſſimum Dei Nomen, & Divinarum Perfectionum Titulos fermè in ſingulis luceſcere: Ex multis duorum ſenſa in primo hoc Specimine publico exhibenda exiſtimavimus. Prior illorum Rabbinus Hebræus eſt, non modicæ Eruditionis famâ celebris, qui viſis duobus ejusmodi Lapidibus, ſacro horrore perculſus, poſt diuturnum ſilentium, venerari ſe dixit, ineffabile Dei Nomen in admirabili hoc Naturæ partu expreſſum: Explicationem characterum aliorum, & inordinatæ transpoſitionis rogatus, ad cabalam confugit, meritò à me rejectam & improbatam. Transmiſi nihilominus per Virum Judæo familiarem plures Lapidum Litteratorum delineationes, de quibus in verba ſequentia ex Hebraico translata reſpondit: *Fateor, latet in lapidibus iſtis grande prodigium, quod humani ingenii captum tranſcendit. Invenio in plerisque Lapidibus Venerandum & Benedictum Dei Nomen* יהוה*, quod verò reliquos characteres concernit, nihil certi de illis ſtatui poteſt. Poſſent quidem juxta methodum doctrinæ & interpretationis noſtræ, alia Divina Nomina ſignificare, ut Nomen Dei, quod numerum 72. 63. 45. vel 52. complectitur, ſed hoc aliarum clavium, linguarum, & Alphabeti inverſi adjumento, nolo tamen plura ſcribere, quia conſultum non eſſet ea typis mandare, quæ Chriſtiani ad Religionem fidémque ſuam traducerent, adverſarii verò (nimirùm Judæi) ægerrimè ferrent.* Hæc Rabbinus ille, quem perlubenter miſſum feci,

feci, quia vix aliud ab eo, quam vana & inania Cabaliſtarum commenta poteram expectare.

Majore integritate, claritate, & eruditione ſententiam ſuam dixit D. *Philippus Erneſtus Chriſtfels*, Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Comitis ab Hohenlohe Schillingsfürſt Caſtri Wilhermsdorffenſis Præfectus, Judæus quondam, nunc ſacro fonte Chriſto initiatus, ſingulos lapidum noſtrorum apices operoſo examine diſcuſſit, & longa diſſertatione expoſuit, ex quâ, prætermiſſis characteribus ſolitariis aut incognitis, & ſolo cabalæ ſuperſtitioſæ adminiculo explicandis, pauca quædam ſubjungo. In lapide primo, ſecundo & quinto Sacratiſſimum Dei Nomen Jehova manifeſtè expreſſum eſt, ita tamen, ut in fig: 1. Vau inverſum locò Jod, quod eidem pariter inverſum ſubſcriptum, in fig: 5. Vau locum Jod, & hoc locum illius occupet: cujus quidem transpoſitionis cauſam nullam ex mente ſuâ, ſed ex commento Rabbinorum dedit, qui more ſuo ineptiunt, docéntque Nomen Dei Jehova peccatis judæorum inhonoratum dividi, ita, ut וה Vau & he ſeparatis, ſolùm permaneat יה Jah, quo Nomine Deus tam in Pentateucho, quàm Pſalmis Davidicis ſæpiùs compellatur; Significare autem Jah Deum Judicem & Vindicem (quod ex pſ. 93. v. 12. derivari poſſe exiſtimant) qui ubi per preces, & pœnitentiam reconciliatus fuerit, coire rursùs diviſum Nomen in Jehova, quod Deum Clementiæ & Miſericordiæ oſtendat. Cæterùm omnes hujus Divini Nominis characteres ſuperſtitiosè colunt & venerantur judæi, undè, cum ſingulæ alphabeti litteræ Numerum ſignificent, quantâ poſſunt, cautelâ, cum numeros ſcribere volunt, eas litteras declinant. Sic quia י decem ה quinque valet, ſcripturi quindecim, loco יה, ponunt טו, id eſt novem & ſex, ídque in numero 16. aliíſque in reverentiam characterum Divini Nominis obſervant. De Imagine Solis in fig: 1. & Lunæ in fig: 5. more Rabbinis uſitato ſuppoſitâ, credit, ſub Sole Dei

Æternitatem, Pulchritudinem, Beneficentiam, Providentiam & ſplendores æternos repræſentari; In Lunâ verò ceu Symbolo Parænetico Judæos admoneri, ne in fide & cultu Veri Numinis more Lunæ inſtabiles ſint, aut deficiant.

Fig: 2. Rursùm exhibet Jehova ſuperpoſito נ. licet imperfectè expreſſo, de quo ex Rabbinorum Commentariis in librum Sohar, varias fabellas refert, nimirùm Nun ſignificare numerum quinquagenarium, & appoſitum Divino Nomini, indicare quinquaginta annos jubilæos Dei, quinquaginta præcipuas cœli portas, & his ſimilia, quæ prætermitto, uti & illud, quod de duobus characteribus ſuppoſitis, divinando aſſerit. punctum ultimo He ſubſcriptum Symbolum eſſe putat Unitatis Divinæ indiviſibilis.

In Fig: 3. legit dimidiam partem Jehova nimirùm וה Vau & He, de quo varia iterum delirant Rabbini, dicentes has litteras eſſe baſin Divini Nominis, ſignificare Thronum & Tribunal Dei, eſſe Inſigne Regis Regum, Notásque characteriſticas, Labaro ſive Vexillo Dei Exercituum inſcriptas &c.

In Fig: 4. ex characteribus diſtortis, & imperfectis nullam vocem ſensúmq; eruit. Citatus ſuprà Rabbinus videns hunc lapidem ad cabalam pro expoſitione confugit, cui aliam oppoſuit D. Chriſtfels ſingulis litteris vocabulum ſubnectens משיח רבני חייל דמך פדותינו. Maſchiach, Raboni chail, Damcha, pedutenu, id eſt, Chriſtus Dominus & Magiſter noſter: Virtus Sanguinis Tui eſt noſtra Redemptio. Sed hæc arbitraria ſunt, nec artem, nec ingenium ſapiunt, ſed copiam verborum; Quemadmodum arbitraria eſt expoſitio L. V. R. in Lapide Reſavienſi expreſſorum, quibus ſingula vocabula apponit Helwingus, totiésque repetit, ac multiplicat, ut integram Dedicationem Libri primi Lithographiæ Angerburgicæ, Ludovico Von Rauter inſcriptam efficiant.

In

In Fig: 6. ſolas litteras earúmque interpretationes cabaliſticas juxta phantaſiam Rabbinorum laborioſe proponit. Characterem ultimum ſimilem ait eſſe Aleph Babylonico ſivè Rabbinico, quod cum ex Jod (in numeris valet 10.) & Vau (valet 6.) componatur, & הוה hova Deum ſemper extiturum ſignificans, eundem 16. numeconficiat, Aleph illud Rabbinicum eſſe ſignum cabaliſticum Deitatis. Similiter arguit de א in hoc lapide primo loco poſito. Componitur, inquit, ex duobus Jod, & Vau transverſim interjecto, quæ numerum 26. complent. Idem numerus continetur in Jehova, igitur Aleph eſt ſymbolum Deitatis. Quis non rideat inſulſas Hebræorum, lepidásque in numeris & characteribus obſervationes?

Figuræ 7mæ characterem primum inverſum, & ſurſum erectum exhibere putat Schin Rabbinicum ſivè Babylonicum; Si transverſim aſpiciatur, habere formam Daleth. Appoſitum characterem eſſe Jod Samaritanum, ex quibus rectè ſe legere putat שדי Schadai id eſt Deus Omnipotens, quo nomine invocâſſe credunt Patriarchas Deum, cum filiis benedicebant.

Figuræ 8væ litteras ſolùm enumerat, nimirùm Zain, Vau informe, He, accentum Zarcka, & coph, cum nugis Hebræorum cabaliſticis, quibus Lectori B. moleſtus eſſe ſuperſedeo.

Figuræ 9næ characteres ſequentes nominat, He, Aleph Rabbinicum, Theth Syriacum, Jod, & neſcio, quem characterem Arabicum, He, Jod Samaritanum, cum Kamez uno in pectunculo, non aurito vel alato, & altero transverſim appoſito, quæ variis combinationibus rursùm Divino Nomini & Perfectionibus applicat.

Hæ Viri de me benè meriti conjecturæ ſunt & expoſitiones, quas in epitomen contractas minimè hoc loco

omittendas cenſui. Quodſi certis Argumentis demonſtratum fuerit, Lapides iſtos Litteratos, eſſe artefacta judaicæ ſuperſtitionis monumenta, vix dubitari poterit, plurima â ſuperſtitioſæ gentis Rabbinis ex arte combinatoriâ & cabaliſticâ in characteribus tam multipliciter variatis, inverſis, diſtortis, transpoſitis expreſſa eſſe, quorum omnium explicationem ex ſenſu judæorum, licet fabuloſam, pollicemur. Profectò lapides ad uſus ejusmodi ſacros judæis poſteriorum temporum in pretio fuiſſe, refert Rabbinus Hiſpanus in celebri apud Hebræos libro de Antiquitatibus Templi, cui Titulus *Schilte Hagiborim;* Tum quòd Lapides à Majoribus ſuis in Lege Veteri, in Titulos, Teſtimonia & Altaria, aut facti prodigioſi memoriam erecti ſunt, ut legitur lib: Gen: cap: 28. v. 11. & v. 22. lib: Joſue cap: 4. v. 3. &c. Tum quód Lex tabulis lapideis inſcripta, & Tribus duodecim, totidem lapillis pretioſis in Rationali Pontificis repræſentabantur. Undè, eodem Rabbino teſte, ſolebant varia Dei Nomina, Laudes, Benedictiones, Lapidibus inſculpere, quos belli aut perſecutionis tempore, ne in hoſtium ſuorum manus inciderent, calce aut luto obductos, & oblitteratos in locis abditis vel inacceſſis recondebant.

Verùm, cur hos ipſos Lapides Noſtros, Naturæ Effectrici, & quocunque demùm modo operanti non tribuamus? Quibus Naturæ Conditor Deus erudire nos voluerit, & Laudes & Perfectiones ſuas in effectibus tam admirandis elucentes, ut, cum homines Factoris ſui obliti taceant, Muti, ſed in figuris diſertiſſimi Lapides loquantur.

CAPUT

CAPUT UNDECIMUM.

An Lapides noſtri Idiomorphi artificioſâ olim manu confecti, & caſu incerto in montem famoſum delati, an ex cauſis naturalibus, more cæterorum foſſilium petricoſorum orti & figurati ſint? Problema eſto.

QUæſtionis hujus dubiæ & controverſæ deciſio, quod ſæpiùs in præſentis Diſſertationis decurſu innui, incerta adhuc & ſub judice lis eſt. Pro Arte rationes graviſſimæ militant, nec levioris momenti pro Naturâ: utrasque hîc perpendendas expono, ſuſpensâ interim ſententiâ meâ, quam tunc proferre non morabor, cum progreſſu temporis altiùs in montem penetraverint foſſores, & apertiora indicia detexerint, quæ in alterutram partem, hærentem in bivio trahant & inclinent.

Ingenioſæ ac Dædalæ Artis ſolertiâ exſculptos eſſe Lapides noſtros figuratos, docere videtur ipſa eorum, formarúmque ex ſubſtratis tabellis prominentium terſiſſima lævitas, quaſi affricto pumice inducta, dum pars eorum averſa & informis congenitâ aſperitate ſordida eſt, & hiulca. Jurares,deprehendi in multis ſcalpri ab ictu regulari aberrantis ictus, ac reſiduas hinc inde fiſſuras, ipſæ verò animantium & plantarum figuræ ita teſtantibus conſiderantium oculis comparatæ apparent,ut primâ ſtatim fronte citra ullam ad cauſas naturales reflexionem, artefacta eſſe cenſeantur. Inſectorum etiam exoticorum & marinorum ectypa, belliſſimè in multis vivorum prototyporum imagines imitantia artificis peritiam loquuntur; dum ea econtrà, quæ Naturæ opificio figurari ſolent, manca ut plurimùm & defectuoſa, ægrè ſimilitudinem aliquam

umbratilem referant eorum, quæ ex phantaſiæ determinantis arbitrio repræſentare exiſtimantur: Quanquam & in noſtris Iconolithis multa à perfectâ verorum animantium effigie non parùm aberrent, oſtendántque imperitam ſculptoris manum, formam ideámque eorum, quæ imitari ſatagebat, parum feliciter aſſecutam. Inter inſecta non pauca reperiuntur, non tantùm peregrina, ſed ita incognita & monſtroſa, de quibus cum Naturalium rerum Scriptores, Jonſtonius, Geſnerus, Aldrovandus, cæteríque recentiſſimi, nullam mentionem faciant, eodem ex cerebro, quo Chimæræ, Centauri, & Hircocervi, nata, conficta, & in Lapidibus exciſa, ad faciendam multiplici beſtiolarum varietate, oculis intuentium oblectationem exiſtimari poteſt. Ad hæc, cur Natura, quæ in omnibus Europæ Provinciis Petrificatorum Parens dicitur, licet modo operandi partim adhuc occulto, partim manifeſto, & Eruditorum induſtriâ demonſtrato, cur, inquam, nihil alibi produxit hactenus ſimile iis, quæ in agro Wirceburgenſi inveniuntur? An in ſolâ Franconiâ tam prodigiosâ Lapides figurandi facultate prædita, eâdem in ſolo externo deſtituta eſt? An nullibi ejusdem ſpeciei mollis gleba, terreſtria ſalia, ſucci Petrifici, atque alia Petrificationis adjumenta, præterquam in Monte Eivelſtadiano reperit, quorum ſubſidio tam inſolentes Zoolithorum & Lithophytorum partus efformaret? Quod cum difficulter adſtrui & ſuſtineri poſſit, meritò inter officinas artificum prima monſtrorum incunabula inveſtigantur. Ipſa Lapidum figuratorum per pedem & dorſum montis temerè ſparſorum frequentia juſtam ſuſpicandi anſam præbet, non hoc natale Idiomorphorum ſolum, ſed tumulum fuiſſe, quo artefacta, neſcio quo caſu delata, & lapſu temporis terræ immerſa & conſepulta ſint. Quid de Lapidibus Litteratis ſive Grammitis & Grammatiis ultra centenarium numerum repertis dicam? quorum alii characteribus profundè inciſis, plurimi eminentibus & protuberantibus inſigniti ſunt diverſimodè, jam exactè ad orthogra-

thographiæ regulas, jam diſtortè, litteris inverſis, tranſpoſitis, mutilis, aut formæ tam inſolentis, ut, cui idiomati rectè adſcribi poſſint, etiam Doctiſſimi & Polyglotti ignorent, quæ Linguæ imperitiam in rudi ſculptore apertè monſtrant. Nec ſolitarios tantùm characteres in ſaxis iſtis videre eſt, quod ex cauſis naturalibus quandoque fieri Kircherus, Aſſaltus, Helwingus, aliíque affirmant, ſed integra, rariſſimo in Lithophylaciis inſtructiſſimis & penè inaudito apud Lithographos exemplo, vocabula & Divinarum Perfectionum Encomia leguntur, non in nudo ſolùm Lapidis ſubſtrati cortice, ſed quod admirationem auget, in Conchitis, Turbinitis, Cornibus Ammonis, Cochleis &c. quæ vel profundè inciſis aut elevatis modicè characteribus extollunt prodigium, ſi quod Naturæ operantis eſſet, vel ad Artem, quod cogitatu pronius eſt, attonitum ſpectatorem reducunt.

Sed nunc Oedipo nobis aut Alexandro opus eſt, qui graviſſimæ difficultatis nodum ſolvat, & vel conjectando, vel hariolando ediſſerat, quo fine, quos in uſus enumerata antiquæ Artis monumenta non ſinè impenſis confecta ſint? An Arcium, Caſtrorum & Palatiorum ornamenta fuerunt? Habitabatur olim Eivelſtadium à Nobiliſſimis Franconiæ Familiis & Pappenheimiorum quoque hodiedum extant inſignia. Solebant rudibus medii ævi ſæculis Architecti capitella columnarum, arcus concamerationum, fornices, & id genus alia, Dracunculorum, Serpentum, Simiarum, aliorúmque monſtrorum ſtatunculis exornare, quod in reſiduis illorum temporum ædificiis obvium eſt. Mos hodiernus eſt hortorum & fontium maximè artificialium cryptas iis animalculis incruſtare, & factis veluti nidulis exornare, quæ aquatica ſunt, lacus, rivos, piſcinas, ſpecúsque ſylveſtres incolere ſolita, ex quorum genere, cum pleraque ſint, quæ nuper inventa exhibemus, quidni mentem ſubeat cogitatio, paucas iſtas licet pretioſiores illuſtrium ædificiorum hortorúmque reliquias hoc in monte præ cæteris reperiri, quod incultus & in-

tactus perſeverârit hactenus, dum colles vicini omnes vitibus conſiti, excultíque ſunt, è quibus vinitorum laborioſa ſollicitudo, quidquid occurrit Lapidum, eliminat, & in ſecretos extra vineas cumulos coacervat, qui, ſi inſpicerentur, inventam hucusque figuratorum artefactorum multitudinem non mediocriter augerent, ſicuti ante noſtras in montis iſtius Lithophylacium obſervationes jam plures ſtupente vinicolarum ruditate reperti, noſtram de Antiquitate ſententiam, nobis tacentibus, confirmârunt. Quodſi verò ex Arcium, Hortorúmque ruinis eruere non libet multiformem Lapidum noſtrorum apparatum, fortè ad reliquias Paganiſmi jam ſuprà expoſitas rejectáſque relabimur? Non diffiteor ſanè, quia pro Arte diſſero; atque ne prætermittam aliquid quod opinioni à me reprobatæ favere poſſit, ipſam Paganiarum c. 4. in genere allegatarum ſynopſin ſubjicio, ut, quid ex illâ pro Lapidibus noſtris inter artefacta computandis afferri poſſit, eorum quoque oculis pateat, quibus vel Tomi Conciliorum, vel Monumenta Paderbornenſia non ſunt in promptu. Sunt autem Paganiæ ſive ſuperſtitiones in ſynodo Germanicâ & Liptinenſi Neo-Chriſtianis prohibitæ ſequentes:

1. De ſacrilegio ad ſepulchra mortuorum.
2. De ſacrilegio ſuper defunctos.
3. De ſpurcalibus in Februario.
4. De Caſulis, id eſt Fanis.
5. De ſacrilegiis per Eccleſias.
6. De ſacris ſylvarum, quæ Nimidas vocant.
7. De his, quæ faciunt ſuper petras.
8. De ſacris Mercurii & Jovis.
9. De Sacrificio quod alicui Sanctorum.
10. De *Phylacteriis & Ligaturis.*
11. De fontibus Sacrificiorum.
12. De Incantationibus.
13. De Auguriis vel Avium, vel Equorum, vel Boum ſtercoribus, vel ſternutationibus.
14. De Divinis & Sortilegis.

15. De

15. De Igne fricato de ligno, id eſt Nodfyr.
16. De Cerebro Animalium.
17. De Obſervatione paganâ, vel inchoatione rei alicujus.
18. De incertis locis, quæ colunt pro Sanctis.
19. De petendo, quod boni vocant, Sanctæ Mariæ.
20. De Feriis quæ faciunt Jovi & Mercurio.
21. De Lunæ defectione, quod vocant vince Luna.
22. *De Tempeſtatibus, Cornibus & Cochleis.*
23. De ſulcis circa villas.
24. De Pagano curſu, quem Yrias nominant, ſciſſis pannis vel calceis.
25. De EO, quod ſibi Sanctos fingunt, quoslibet mortuos.
26. De ſimulacro de conſpersâ farinâ.
27. De ſimulacro de pannis factis.
28. De ſimulacro, quod per campos portant.
29. De ligneis pedibus.
30. De eo, quod credunt, quia fœminæ lunam comedant, quod poſſint corda hominum tollere juxta paganos.

Ex toto hoc ſuperſtitionum Neo-Chriſtianis prohibitarum catalogo, eæ ſolùm Lapidibus noſtris applicari poſſunt, quæ de Philacteriis & Ligaturis, fortè &, quæ de Cornibus & Cochleis loquuntur.

Familiaria Ethnicis fuiſſe Amuleta & Philacteria ex Thomaſino de Donariis & Tabellis votivis, qui Plutarchum & Varronem teſtes adducit, aliíſque ſcriptoribus vulgatum eſt. Suſpendebantur è collo non infantium modo, ſed & adultorum, è liminibus domorum, è poſtibus lecticarum ac parietibus conclavium, ad faſcinum, morbos, incantationes, incendia, aliáque mala, ſub Deorum Averruncorum (quos tamen ab ipſis Amuletis diſtinctos ſæpiſſimè adhibebant) auſpicio avertenda: repræſentabant illa res quandoque turpiculas & obſcœnas, formas Deunculorum, avium, piſcium, bipedum, quadrupedúmque animantium, ſerpentum, quin & vaſorum ſacro-

rum aliorúmque inter ſacrificia utenſilium. De Amuletis Ægyptiorum fusè tractat Athanaſius Kircherus *in Oedipo Ægyptiaco* diverſis locis, ſpecialiter verò *Tomi II. parte II. Syntagmate XIX. cap. 1. & ſeqq.* ibidémque multiplices eorum imagines, ſibi ex variis Virorum Illuſtrium Muſæis communicatas, & æri aut ligno inciſas exhibet. Capite quarto ſcarabæos prophylacticos quatuor deſcribit ab Ægyptiis ſummè olim æſtimatos, ita, ut cum aliis Amuletis in coronam colligatos collo, capiti aut brachiis imponerent. Hos, ut aſpexi, non multùm abſimiles deprehendi bufunculis conchiti incluſis, quorum plures in Monte noſtro collegi, unúmque Tabula II. exhibui, hoc ſolo diſcrimine, quod Scarabæi Ægyptiorum ventrem in planam ſuperficiem elaboratum, & characteribus Gnoſticis, vel Ægyptiis aliíſque ſignis Hieroglyphicis inſignitum habeant. Bufunculi (Scarabæos poſſem dicere, adeò ad Kircherianorum formam in capite præſertim accedunt) abſolutam undique concham, & ex alterâ parte rudem & impolitum Lapidem repræſentant. Iſidem ſub variorum animalium formâ ab Ægyptiis expreſſam cultámque laudatus Kircherus demonſtrat. Eandem non in Ægypto ſolùm, ſed & Græciâ, Phœniciâ, Lybiâ, Luſitaniâ, Italiâ, & Germaniâ divinis honoribus ritibúſque ornatam docet Laurentius Pignorius *in Expoſitione Menſæ Iſiacæ cap. 2. pag. 5.* Ubi illud pariter obſervandum venit, quod in *Anacephalæoſi Oedipi ſui Ægyptiaci cap. 1. pag. 554.* aſſerit: Animalia quæ Ægyptii in Symbolorum vel Hieroglyphicorum fabricam aſſumpſerunt, non peregrina & extera, ſed patria, domeſtica & ipſis familiariter nota fuiſſe, ídque variis argumentis probat: *Primò, quod Ægyptii rarò vel nunquam Philoſophandi gratiâ patrium ſolum egredi ſoliti, ut qui teſte Strabone & Herodoto reliquas gentes velut barbaras ignaras, & Sapientiæ ſuæ indigas reputarent: Artes quoque & Diſciplinas verámque Philoſophandi rationem nullibi niſi in Ægypto, ſicut primâ terrarum, ſic primâ quoque rerum productrice quærendas exiſtimarent. - - - - Secundò nullam quoque Animalium extra Ægypti*

limites

limites degentium ſingularem cognitionem habuiſſe Ægyptios, ſed eorum tantùm, quos fœcunda Mater Ægyptus illis producebat. Quod inde luculenter apparet, quia cum Ægyptii toti eſſent in Animalium virtutibus, indole, ingenio, ſympathicis & antipathicis eorum affectionibus aliisque Naturæ dotibus perſcrutandis, omnes eorum nutus, teſte Plutarcho, & geſtus minimásque actiunculas ad ſuperſtitionem usque obſervarent, imò maximam in hiſce cognoſcendis ſecretioris Philoſophiæ partem ponerent, certè earum virtutum, proprietatúmque obſervationem, niſi in animantibus maximè obviis, iisque familiaribus minimè fieri potuiſſe, veriſimile eſt. Quodſi ita, ſanè nulla alia animalia, præterquam Ægyptia, quorum virtutes & proprietates ex quotidianâ inſpectione cognitæ erant, ad Symbolorum & Hierogrammatum ſtructuram aſſumpta fuiſſe patet; cum nullam externorum animantium cognitionem intimam habuerint. Addit inſuper: Quodſi in multis antiquis fragmentis figuræ Cervorum, Elephantum, Gallorum, Urſorum ſimiliúmque inciſæ reperiantur, nequaquam Ægyptiorum, ſed Græcorum figmentis accenſenda eſſe. Ex quibus ſuſpicari licet, ex Utriusque Gentis ſuperſtitioſo artificio confectas eſſe animantium tam domeſticorum & patriorum, quàm exoticorum formas in Lapidibus noſtris expreſſas, quas pro Amuletis & Philacteriis, cæterorum paganorum impio ritu, etiam in Germaniam ac Franconiam noſtram propagato adhibebant. Accepi præterea ex monte noſtro Statunculas quasdam verè (ut ceptæ de ſuperſtitioſis artefactis hypotheſi conformiter loqui pergam) ad ſpeciem prophylacticas. Formam ferè eandem habent quam Serapes Ægyptiorum & Theraphim Judæorum, quæ Idola fuiſſe à Rachele, Patri ſuo Laban furto ſublata, & à Judæis Ægyptiorum ſuperſtitionem imitantibus aſſumpta, eruditiſſimè docet laudatus ſæpiùs Kircherus *Tom. 1. Oedip. Ægypt. Syntag. IV. pag. 259. & ſeqq.* Erant autem Serapes Ægyptiorum figuræ *ſinè ullâ membrorum eminentiâ veluti faſciis quibusdam involutæ, partim ex appropriato lapide, partim metallo, ligno aut teſtâ confectæ.* Cum enim ſuperſtitioſiores reliquis Gentibus Ægyptii indignationem & offenſam Deorum ſuorum metuerent, ſi mutila-

tilarentur EORUM ſimulacra, tali ratione & modo conſtruebant, quo ab omni rupturâ aut mutilatione immunia, integritate ſuâ, Deorum per Sacrificia attractorum aſſiſtentiam & influxum continuò conſervarent, quod minimè futurum rebantur, ſi vel minimum membrorum vel incuriâ vel malitiâ hominum corrumperetur. Quod vel maximè timere poterant in ſtatuis ejusmodi prophylacticis, quas ſecum, quocunque pergerent, portabant, ubi ex continuo uſu & circumlatione, ſi membra exſititia eſſent, facilè contingere poterat, ut brachium, manus, pes digitúsve frangeretur. Eas proinde tali ſculpturæ apparatu formabant, ut ſolo, eóque velamine munito capite extantes, reliqua corporis parte veluti conſtrictâ faſciis, infantum vel Mumiarum Ægyptiarum more fierent. Statunculæ meæ lapideæ non infantem faſciis conſtrictum, ſed Turbinitem vel Cochleam oblongam exhibent, prominente in unâ alterâve Idoli capite, cujus locum in aliâ vel character, vel aliud ſignum hieroglyphicum occupat, quod alio loco ſpectandum dabimus. Nec abludit ab horum formâ id, quod Tab: II. videre eſt, & ad Penatum Ægyptiacorum ſimilitudinem aliquam propè accidere videtur. Quos in uſus Cochleæ ſervierint, divinare non libet. An Cornuum nomine Cornu Ammonis intelligi debeat, dubito, de quibus tamen forſan aliquando fuſiùs, Cl: Langius *in Hiſtor: Lap: figur: Helvet: lib: 4. cap. 1.* ex Plinio refert, Lapidem hunc inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas relatum, colore aureo Arietini Cornu effigiem reddere, & prædivina ſomnia repræſentare, dum capiti incubantium ſubjicitur: Ammonis Cornu appellari, vel quod in ſolo arenoſo circa templum Jovi Ammoni à Baccho in gratiarum actionem ob inventum ductu Arietis, quem Jovem fuiſſe exiſtimârat, in Lybiâ fontem exſtructum, occurrat, vel, ut inventores hujus Lapidis ipſum impoſito Deaſtri cujusdam nomine nobilitarent, vel denique ex ipſo cultu erga Jovem Ammonem. Fuit igitur jam antiquitùs à malè credulâ Gentilitate ad ſuperſtitiones, quidni à Francis Ethnicis ad eosdem impios uſus adhibitus?

Gram-

Grammitas noſtros & Lapides litteratos dum conſidero, Teleſmata occurrunt, non Turcis ſolùm, Arabibus & Ægyptiis, ſed & Hebræis, quorum characteres potiſſimùm in Tab: VII. exhibemus, frequenter uſitata. De conſtructione & uſu Teleſmatum videatur Kircherus Oedip: Ægypt: Tomi III. part. I. claſ: V. Potiſſimum hujus fabricæ artificium in eo erat, quod ex Alphabeto Arabico juxta ordinem litterarum hebraicarum, poteſtate pronunciationis & valore numerorum æquipollentium diſpoſito, varia formarent Nomina Dei, quæ ſingula in ſuos numeros reſolvebant, ſingulos Numeros & litteras Præſides ſibi Angelos habere fabulabantur, quos in elementa, planetas, ſigna Zodiaci, totius denique mundi membra influere exiſtimabant; ex quorum combinationibus & laborioſis coacervationibus (quod Tabulas Kircherianas inſpicienti patebit) ſua formabant Teleſmata, inſcribebant, & inſculpebant gemmis, membranis, ſigillis, faſciis, vexillis &c. quæ ad varia vitæ humanæ commoda procuranda, aut mala avertenda, imò ad ultionem de hoſtibus ſumendam, damnáque inferenda mirificâ vi pollere, impiè ſibi aliiſq; perſuadebant.

Atque utinam malefica hæc ad peſſimos uſus conſtruendi Teleſmata ſuperſtitio apud Chriſtianos hodie non recrudeſceret! Qui inſanum artis cabaliſticæ ſtudium apud Hebræos etiam perpendit, mecum non inficiabitur, confecta ab illis & in pretio habita fuiſſe Teleſmata. Quid enim aliud Prophylacticas illas contrà febres aliáque morborum genera, contra incendia, contra tempeſtates & fulmina ſchedas, quàm Teleſmata dixeris, & certa continuatæ ad noſtra usque tempora ſuperſtitioſæ vanitatis documenta? Abutebantur hunc in finem Divinis Nominibus & Cognominibus, quæ varie in Sacris Codicibus expreſſa, ſuis ipſi obſervationibus, calculationibus, ſcribendi pingendíve modis ad effectus extraordinarios impetrandos intorquebant, ut ex iis, quæ laudatus Chriſtfels de Lapidibus noſtris ad Tab. VII. ex Scriptoribus Hebraicis ſuccinctè attulit, colligitur, & intimus Doctrinæ judaicæ inſpector ac

Religioſiſſimus Cenſor Kircherus cit. p. 1. Tom. III. claſs. IV. doctiſſimè demonſtrat ſimul & confutat. Inſpice nunc B. L. Lapides noſtros characteribus Hebraicis inſignitos in quibus cum Dei Nomen Sacratiſſimum diverſimodè expreſſum legis, nunquid venire in mentem poteſt, judaica hæc Amuleta fuiſſe, in montem iſtum vel judæorum ſuperſtitiones ſuas cum Eivelſtadio migrarent, occultare volentium induſtriâ, aut alio quocunque demùm caſu defoſſa? Nec obſtant obvii in litterarum & vocabulorum figuris errores, metatheſes, characteres ignoti & peregrini, ex quibus vel myſterium aliquod, vel imperitiam ſculptoris, vel exoticum ſecreti ſtudium in gente perfidâ judicabis. Opinabantur aliqui ex ſepulchris Eivelſtadianis lapides noſtros Hebraizantes, ut ita loquar, in montem noſtrum delatos: Verùm Teleſmatis & Amuletis propiores ſunt, quàm ſepulchralibus Epitaphiis. Inſculpunt iis Judæi quandoq; unum ex ſignis Zodiaci conveniens Menſi, quo natus in mundum defunctus fuit. Si de ſtirpe Leviticâ ſanguinem traxerat, pelvim apponunt cum malluvio, ſin de genere, ut ſomniant, Aaronico, manus efformant, incidúntq; methodo ſequenti complicatas: Pollicem pollici, Indicem indici, & medios digitos complicatos apprimunt, annularibus & auricularibus elevatis, quo geſtu dum benedicit populo, inſidentem digitis Dei Spiritum ſibi fingunt, nec intueri, ne cæcitate percutiantur, manus præſentiâ Numinis ſacratas præſumunt. Simile nihil hucusq; deprehenſum eſt, præter notas ſtellarum & characteres ſæpè dictos, qui ad Philacteria aut Teleſmata rectiùs, quàm ad monumenta defunctorum ſpectare videntur.

Atque ita vix aliquid à me prætermiſſum aut diſſimulatum eſſe arbitror, quod ad Lapidum noſtrorum originem ab Arte antiquâ petendam vel proponi vel excogitari poſſit. Nunc pro Naturâ Iconolithorum tam mirabilium effectrice loquendum eſt: quod priusquàm aggrediar, perbrevem apologiam interponere compulſus ſum, ad famam meam ab impoſturæ notâ, & à modernæ Artis novitate Lapides Wirceburgenſes vindicandos.

CAPUT

CAPUT DUODECIMUM.

Lapides noſtri Idiomorphi non ſunt recenti arte manúque facti & ſuppoſiti, ut quidam fingere, & palmare commentum, ſparſis quaquaversùm fabellis & narratiunculis publico venundare, non verentur.

REtuli in prooëmio rariſſimam figurarum in Lapidibus noſtris novitatem, nec Herbipoli, nec inter exteros, quantùm ex pluribus diverſarum Nationum Lithographis, eorúmque commentariis diſcere licuit, viſam aut cognitam, Viris Litteratis anſam dediſſe, neſcio quid, de ſuppoſitione & impoſturâ ſuſpicandi. Hos inter ille ipſiſſimus fuit, qui poſt habitam à me aliísque amicis frequentem montis & effoſſionis inſpectionem, diligénsque circumſtantiarum huc pertinentium examen, mecum de rei veritate jam certo & penitùs convicto, in locum monſtrorum ejusmodi feracem profectus, ſuâque manu non unum figuratum lapidem effoſſum, non modò teſtatus eſt, ſed & de eorum origine ſententiam rogatus, dixit, *credere ſe Iconolitha iſta arte facta eſſe, ſed antiquâ, & Gentiliſmi Veteris reliquias, Epiſcoporum Germanicorum & Carolomanni Ducis ſtudio, Chriſtianæ plebi, ſuperſtitioſis Ethnicorum ritibus adhuc addictæ ereptas, ac in hunc montem abjectas;* de quo *cap. 4.* diſſerui. Securo igitur tranquillóque animo calamóque ceptam de hoc argumento diſſertationem proſequebar, quam jam penè ad calcem perduxeram, cum inopinatus ad me rumor defertur, ſpargi per urbem paſſim, atque apud Magnates præcipuè ac Eruditos, Lapides ad unum omnes, quos Virorum Sapientum judicio edito tractatu exponere vellem, *recenti manu & arte exſculptos, atque per*

X *inter-*

intervalla, indè tanquam ex vetuſtiſſimo tumulo erutos, mihiq; fraudis ignaro, & cæcâ curioſitate avidè abrepto venditos eſſe: Deceptum me, pari infelicitate mundo illudere, dum merces putridas & novitias pro genuinis & antiquis, non ſinè tacito Prudentum riſu venales exponerem. Obſtupui vehementer,cum fabulæ hujus & atrociſſimæ calumniæ authores intelligerem eſſe Dûumviros, vel par antagoniſtarum potiùs, quorum nominibus certis modò de cauſis parco, omni aliàs à me officiorum genere cultos, & aliquamdiu Societatis Academicæ collegas. Cur, inquiebam, ſi quod prudens in materiâ ancipiti dubium occurrit, ſi iterum ſuſpecta eſſe cepit Lapidum geneſis, cur mihi, aut ſi animum in me præoccupatum averſabantur, cur aliis toties ad controverſias Litterarias expendendas congregatis proponere verebantur? Cur argumenta pro antiquitate Lapidum iſtorum in cœtu publico allata, oppoſitis fortioribus non eliſerunt, & occultæ fraudi larvam detraxerunt? Cur diſſimulârunt tamdiu, & nunc demum litem acerbam movent, cum opus ſub ultimâ manu & in veſtibulo eſt, ut in publicum progrediatur? Nimirùm *ſtudio honoris mei, imò urbis & patriæ ſe incitatos dicunt, ut nunc curſum vaniſſimi laboris mei ſiſtant, cum præcipitio proximus, famâ periclіter. Supprimendum opus, quod exteri ſannis excipient, & præproperum Authorem vel ſupinæ ignorantiæ, vel manifeſtæ impoſturæ arguent.* Si ita eſt; cur clam me aguntur omnia? Cur præſentem & ſæpius familiariter colloquentem non admonent, edocent, dehortantur? Si ſuppoſitio ipſis tam certa & aperta eſt,cur machinas occultas ſubſtruunt? Cur delatione & demonſtratione publicâ non oſtentant? Cur viam modúmque adhibent, Viro cordato & honorato tam indignum, tam inuſitatum? Attende, obſecro, B. L. rei contra me geſtæ ſuccinctam ſeriem. Paucis abhinc ſeptimanis alter Duumvirûm, montem hactenus juſtis de cauſis occultatum, ipsíque bonâ fide & Amicitiæ ergo ſub rosâ detectum, me inſcio, & quod ſcire potuit debuítque, invitiſſimo propalat: Itur in locum magno

magno ſtrepitu, conſtituuntur foſſores, multis inſpectantibus eruti Lapides, coram oppidanis inter pocula, falſitatis, ſuppoſitionis, & impoſturæ accuſantur, & non ſine dicteriis condemnantur. Non multò poſt alter Duumvirûm, artificii, quod in paternâ fortaſſis officinâ didicit, ſpecimen facturus, Lapidibus tractabilioribus characteres hebraicos cum cultello, hebræis in circumciſione uſitato, formáſque Dracunculi alati, Muris, Leonis, Mali granati, &c. inſculpſit, nonnullos eorum in diverſis montis famoſi prominentiis ſuâ manu ſuppoſuit, unúmque ex his & alterum Lapicidæ puero, hunc in finem magnis pollicitationibus conducto, & ſubornato, mihi vendendos commiſit. Redit mox fraudis miniſter puer, venditæ impoſturæ pretium exhibet, applauditur, & pro re benè geſtâ liberale prœmium offertur.

Te nunc Benevole Lector appello, ad tuam æquitatem provoco, Te arbitrum conſtituo. Quis machinationum tot clandeſtinarum ſcopus fuit, niſi, ut ſumptus, labores, operam, famámque meam hoc aſtu velut ictu unico proſternerent & profligarent? Et reſpondiſſet fortè tam callidis conatibus optatus eventus, niſi vigili oculo, propitióque Numine patefacta fraus, ne adoleſceret, in cunis ſuffocata fuiſſet.

Sed indulgeamus aliquid conſiliis & votis æmulorum noſtrorum: demus ſpurios iſtos artis novitiæ partus genuinis lapidibus noſtris permixtos, inventos, & Lithophilis obtruſos eſſe; An ideo, quidquid Iconolithorum à me ſex menſium ſpatio inventum eſt, impoſturam ſapit? Nulla ætas, nulla Provincia eſt, quæ falſarios paſſa non ſit, & monetæ corruptores. Sunt, qui Nummos Romanos, Græcos, Ægyptios, alióſque, gemmás quoque ſculptas tam dexterè imitantur, ut peritiſſimos Antiquarios decipiant; idem de picturis & ſtatuis judicium eſto: An ideo Nummi omnes, quibus vel in quotidiano commer-

cio utimur, qui in agris, villis, vineis, urbium & ſepulchrorum ruderibus, in Romanorum Græcorúmque priſcis ſtationibus reperiuntur, an gemmæ, picturæ, ſtatuæque omnes, quæ in Technico-thecis Regum & Principum aſſervantur, non antiquæ artis monumenta, ſed adulterina impoſtorum artefacta ſunt, antiquam elegantiam peritæ fraudis imitatione mentientia? Sanæ mentis nemo id affirmare, nec ideo ſuppoſitorum numero genuinos lapides noſtros accenſere auſit, quod invidæ artis induſtriâ paucos aliquos effictos & Lithophilorum manibus obtruſos intelligat. Hoc ut pluribus rationibus demonſtrem, Te præprimis B. L. monitum velim, figuras omnes, quas in Tabellis huic Diſſertationi inſertis ſpectandas exhibeo, longè antea à pictore delineatas, & Chalcographo demandatas eſſe, quàm Duûmviri iſti de movendâ controverſiâ cogitarent, aut antiquitatem Lapidum ſuſpectam haberent, nihil proindè conſpectui tuo conſiderandum dedi, quod novus iſte Praxiteles ſcalpro & ingenio ſuo queat vindicare.

Longè antiquiora ſunt, vivúntque cives in oppido vicino honeſtiſſimi, qui jurati teſtantur, jam ante annos multos proles ſuas, dum ludibundæ in monte iſto vagarentur, Lapides figuratos attuliſſe domum, non ſinè parentum admiratione, qui tamen ignari, quo in pretio Litteratis ſint ſaxea iſta prodigiâ, nonnulla curioſitatis gratiâ aſſervârunt, plurima neglexerunt. Quis ille prælapſis temporibus artifex fuit, qui ſumptus & operam impendit, ut clam pueris ludum faceret? Scilicet quod priſcæ fidei & integritatis indigenis in mentem non venit, peregrini & advenæ audaci temeritate moliuntur, non ut pueris, ſed Viris ex omni ordine Graviſſimis, imò toti Franconiæ imponant. Quibus enim rationibus poterunt perſuadere, ingentem Lapidum effoſſorum copiam artificiosâ falſarii cujusdam fraude tantillo tempore confectam, & in hunc locum omnibus obvium, oppidano-

rum

rum in vineis contiguis æſtatis, autumni, Veris, imò & hyemali tempore hærentium oculis expoſitum ita clanculo deportatam eſſe, ut nunquam furtivi veſpillonis umbram aut veſtigia obſervarent. A menſe Junio præterlapſi anni 1725. usque ad Novembrem per intervalla & vix non per otium, conducti à me operarii, montem perluſtrârunt, rigidiſſima anni currentis hyems & denſæ nives ſuſpenderunt negotium, donec ſolutâ glacie, mitior tellus cœlúmque, ligoni aditum in viſcera permitteret. Effoſſa ſunt ſex menſium ſpatio figuratorum lapidum circiter duo millia, iis non annumeratis, qui vel diluvianis accenſentur, & ingenti copiâ ſeſe oſtendunt, vel qui monte jam patefacto à tenuioris fortunæ incolis lucri causâ promiſcuè eruti, venales circumferuntur. Teſtantur præterea ſculptores noſtrates, Zoolitha & Lithophyta plurima in ſaxis ſolidiſſimis, ſiliceâ aut marmoreâ duritie præditis adeò exactè belléque animantium aut plantarum formas referre, ut vel uni exſculpendæ unius & alterius diei labor continuus vix ſufficiat, id quod experientiâ propriâ Novitius ille ſuppoſitorum lapidum Artifex forſan didicit. Finge nunc, & crede, ſi libet, ſex menſium ſpatio ingentem Iconolithorum numerum tanto labore, nec minore pretio ab unico foſſore ignaro confectum, & eo fine in monte defoſſum, ut unus ego in fraudem inducar. An abſurdius commentum Cretenſium mendaciſſimus excogitavit unquam, & auditoribus obtruſit? Foſſores meos, quorum operâ hoc in negotio unicè uſus ſum, quod attinet, tres ſunt germani fratres, pauperculæ viduæ filii, quorum natu-maximus ætatis annum decimum nonum nondum explevit, reliqui puſiones ſunt. Hi artis ſculptoriæ prorſus rudes, quod D. Parochus, & Magiſtratus oppidi, de educatione eorum, modóque vivendi, séque alendi quàm optimè informati teſtantur, mercenariam operam lapicidis in montibus vicinis locabant, & accepto pro diurno in eruendis ſaxis, aut glebâ, fragmentíſque removendis labore, modico ſtipendio, ſe matrémque ſuam utcunque ſuſtentabant: à me

Y autem

autem caſu fortuito conducti, & liberaliore laboris pretio illecti, relictis fodinis ſeſe totos eruendis minore difficultate lapidibus meis impenderunt, modo quidem, quo poterant, occultiſſimo, ne & alii ſpe paris lucri incitati ſe ſocios laboris adderent, lucrúmque diviſo, inter plures operæ pretio, diminuerent. Horum artibus quò minùs adſcribi poſſint lapides noſtri Idiomorphi, facit figurarum in plerísque exacta ad Naturæ prototypon imitatio, plantarum exoticarum, & peregrinorum animantium in his terris vix Litteratis viſorum & eleganter expreſſorum frequentia, characteres & vocabula diverſarum linguarum modis tam diverſis, nunc inverſi, nunc transpoſiti, nunc debito ordine collocati, & quæ alia ſunt ſaxorum iſtorum portenta, tum etiam puerorum foſſorum ætas, imperitia, ſimplex integritas, in quam technæ tales minimè cadunt. Si dicis aliorum artificio effictos, foſſorum manibus monti illatos, ac rurſus effoſſos, mihíque venditos; Næ tu opulentum & induſtrium tibi impoſtorem fingis, qui in fraudem, ſimplici puerorum loquacitate facillimè manifeſtandam, ſumptus laboréſque immodicos, incerto eventu impenderit, & hodiedum impendat, ut diverſiſſimis operariis montem jam notiſſimum ſcrutantibus ſuppetant ea, quæ vendant inquilinis & exteris, ac ita non ſoli mihi, ſed & quam plurimis aliis, licet ignari, illudant. Cur variant modo Duûmviri, & ſculptos nunc proclamant, quos paulò ante figulorum opificio, factâ per formas (tam diverſas nempe) impreſſione, igne coctos, & quaſi lateres toſtos eſſe volebant? Cur à Sententiâ Paganiſmi magno ſtrepitu & non ſinè ambitiosâ hiſtoricæ obſervationis jactantiâ quaquaverſùm prolatâ receſſerunt tam ſubitò, convicti nimirùm lapidum multitudine, quam minimè ſperabant: ſcilicet à Luſu Naturæ Duumvirûm alter ad Paganiſmi reliquias, ab his ad impoſturam delabitur, factus denique iterum Ludio, quod priùs eſſe detrectabat?

Ipſa montis inculti conſtitutio iniquæ cavillationis falſitatem, rubigine, ut ita loquar, gramineâ, quâ incruſtatus cer-

cernitur, ad oculum demonſtrat. Eſt, ut *cap.* 2. dixi mons ſterilis, virgultis hinc indè ex Betulâ & Abiete præſertim enaſcentibus hiſpidus, muſcoſo & annoſo gramine frutici-bus & radicibus arctè implexis, reticulari veluti loricâ tectus & armatus, nec ab hominum memoriâ ligonem aut harpaginem paſſus (cacumen excipio, pro terrâ habili vinetis importandâ ſæpius aperiri ſolitum, ſed ſaxorum figuratorum minimè ferax.) tellure ſub viridi clypeo intactâ, & virgine. Itaque denſus iſte ramoſúsque terræ cortex priùs perforandus, dilacerandus, ac removendus eſt, priuſquam in glebam lutoſam penetres, in quâ lapides noſtri, ſi non generantur, ſaltem cujuſcunque demum artis & operis pervetuſta monumenta delitеſcunt: ſi proindè falſariorum nuperrimorum dolo & ſtudio lapides noviter ſculpti ac dicto in loco reconditi ſunt, deprehenſa fuiſſent recentis foſſionis veſtigia, laceri corticis ſpectabiles fiſſuræ, hiulcum ſolum, & ſimilia laboris etiam à menſe tentati peractíque documenta. Nihil iſtiusmodi hactenus obſervatum eſt ab iis, qui repetito ſæpiùs itinere, mutatis pro arbitrio foſſoribus uſi, jam hoc, jam alio in loco, prout opportunum videbatur, penetrârunt in montem, laborantium manibus vigili oculo intenti, ne, quod pariter jactitatum fuerat, in ipsâ foſſionis occupatione lapides ſub veſte abſconditos clanculùm projicerent. Horum Nomina teſtimoniáque, ut ex Gratioſo Eorum Annutu poſſem, ſi hoc loco apponerem, erubeſcerent obtrectatores mei, & ſerâ audacis cepti pœnitentiâ ducti, recidere in caput authorum telum calumniæ non ſinè vulnere ſentirent, præſertim, cum inſtitutâ inquiſitione convicti, & ex propriâ confeſſione, ſuppoſitionis rei declarati ſint.

Verùm nunc cæcutiunt omnes, ſoli ipſi plùs Argo oculati ſunt: vident ſoli, quia ſoli invident. Suppoſititii lapides omnes ſunt, quia Duumvirûm alter ſpurium artis ſuæ fabrilis, dicam, an ſculptoriæ opus malâ fraude ſuppo-

ſuit; Tot Teſtibus omni exceptione majoribus, nedum verbis meis fides non habetur, quia Litteraturæ Franconicæ reſtaurator, ſi ſuperis placet, & Polyhiſtor non dixit, qui id ſolùm credi, & pro oraculo haberi vult, quod, & quia ipſe dixit: αὐτὸς ἔφα. Occurrit opportunè mihi Plauti Curculio, in quo Comœdus dixit, deſcripſítque omnia, quæ de Viro nimiâ philautiâ occupato dicere ſapientes poſſent.

Date viam mihi, noti, atque ignoti, dum ego hic officium meum
Facio, fugite omnes, abite, & de viâ ſecedite,
Ne quem in curſu capite, aut cubito, aut pectore offendam aut genu &c.

Sed parcius iſta modò. Arroganti epiſtolâ Praxiteles ſupradictus bellum indixit: commentariolum minatus eſt, quibus lapides meos *ſuppoſititios* demonſtrabit; erravi: non meos, ſed quos ſuâ manu finxit & ſuppoſuit, ſuos ſcilicet. Sic homo obſcuri hucuſque inter Litteratos nominis, & Scientiarum Tyrocinia nondum egreſſus, auroram claritatis ſuæ in calumniâ ac impoſturâ verè erubeſcendâ quærit. Expecto firmo pede Schediaſma, imò Satyram, quid enim mitius è calamo animóq; tam amaro promanabit? ſed vitio mihi non vertet ipſe, nec, quem patronum & adjutorem, ſi non authorem litis intentatæ & motæ habet, ſi orbi diducto velo ea poſtmodùm laceſſitus & provocatus aperiam, quæ nunc tacitus prætermitto. Non poſſum tamen, quin ſymbolo gemmæ, quâ epiſtolam comminatoriam obſignavit, aliud opponam perſonæ ipſius magis conveniens. Roſam ſibi audax Novator elegit floridam & ſpinoſam, cum Lemmate: *Non tangor impunè:* *Roſam* ſculpere debuiſſet, ſed foliis deciduis marcidam, relicto calvo ſterilíque ſtolone, ſolis ſpinis armato, ſubſcriptâ Epigraphe: *Supereſt vis ſola nocendi.* Expoſitionem lemmatis aut ipſe ſibi faciet, aut ego in extortâ juſtâ veritatis & innocentiæ defenſione orbi explicabo.

COROL-

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Afferuntur rationes æquè graves pro Origine Lapidum noſtrorum figuratorum, Cauſis Naturalibus, non verò Arti tribuendâ.

IPſe mihi viam præcluſiſſe videor, Natales Lapidum Wirceburgenſium è Naturæ penu depromendi, dum pleraſque cauſarum Naturalium, quibus celebriores Lithographi foſſilium monſtrorum partus tribuere ſolent, Idiomorphis ſaxis noſtris minimè applicari poſſe, ſuperiùs oſtendere conatus ſum. Quodſi tamen Caput quartum, ubi Reliquias Paganiſmi rejecimus, attentè examinaveris, Artem non minùs ac Naturam inter Iconolithorum tam prodigioſorum genearchas non computari, ac de utrâque idem ſuſpenſo judicio, me exiſtimare affirmabis, præſertim cum ea, quæ de Amuletis & Teleſmatis cap. XI. attigi, facillimè evertantur, ſi vel ipſi Lapides non in ſolo typo, quem abſentibus communicare potuimus, ſed quales, quâque formâ eruuntur, ſpectandi præſentibus porrigantur. Unde facilis conjectura fit, non ad ſcalpra ſtatuariorum, nec ad figulorum rotas, nedum ad inſidioſas æmulorum, ut mitiſſimè dicam, manus confugiendum eſſe, ut foſſilium Animantium, Plantarum, Stellarum, aut ſimilium figuratorum geneſin detegamus. Noverunt Lithographi, &, ſi ſpectare coràm aut poſſent aut vellent, tùm in domeſticâ Lithophylacii mei ſupellectile, tùm in famoſiſſimorum Scriptorum tabulis æneis exhiberem ea, quæ extra Franconiam Natura Thavmaturga operata aut imitata eſt. Peritis & oculari experientiâ edoctis loquor, quibus nec mirum, nec inſolens videbitur id, quod ager Wirceburgenſis peperit, ſi iis comparetur, quæ in Helvetiæ, Hunga-

Hungariæ, Auſtriæ, Saxoniæ, Epiſcopatûs Eichſtettenſis, Haſſiæ, Thuringiæ &c. montibus, Fodinis, antris & ſpecubus tantâ multitudine reperiuntur, quin ulli Inventori Lithophilo Artis in ſaxis iſtiusmodi elaborandis impenſæ ſuſpicio inciderit. Exemplis illuſtrare aſſertum poſſem, ſed quia brevitati ſtudeo, nec textum verborum meorum, more multorum, ſuppoſitis notis, & exſcriptis Authorum ſuffragiis & longis digreſſionibus, ad procurandam Diſſertationi in modum codicis infarti ſpiſſitudinem, famámque multæ lectionis aucupandam, amplificare volui; ad Eruditorum, quibus talia nec nova, nec peregrina ſunt, aſſenſum confidenter provoco.

Invenitur in Monte Eivelſtadiano Lapidibus noſtris de artificio ſuſpectis permixta ingens Chamarum, Pectinum, & Pectunculorum, Tellinarum, Muſculitum, Oſtracitarum, Conchitarum, Cochlearum, Turbinitum, Nautilorum, Cornuum Ammonis diverſarum ſpecierum, copia, eodem terræ ſinu, eâdem terræ glebâ recondita, quæ alii Diluvianis reliquiis, alii projectis oceani, per occultos fluminum è ſinu ſuo orientium canales, terram permeantis excrementis, alii aliis Naturæ petrificantis operæ attribuunt: Cur in iſtorum analyſi ad cauſas naturales recurrimus, fratres verò gemellos, figuratos, inquam, Lapides cæteros eodem è gremio effoſſos Novercæ Arti adjudicamus? Quis parentum tam diverſorum ſobolem genuinam alteram, alteram ſpuriam & adſcititiam uno in ſinu & acervo ita commiſcuit?

Inveniuntur non paucorum inſectorum, plantarum, fructuúmque figuræ ſolitariæ, & ſuis matricibus involutæ, è quibus, ùt ex ovo pullus, excluſæ apparent, docéntque, quod genus unde domo. An fortè ut gypſeæ formæ cera, ut argillaceæ metalla, ſic liquefactæ ſubterraneis pyrophylaciis, aut radiis ſolaribus, aut imbrium alluvione, petræ infuſæ ſunt, & excavatam Arte glypticâ cancrorum, lacertarum, cochlearum domiportarum imaginem induerent? Quis malum Armeniacum Tabula VI. ex-

expreſſum tam dexterè ex lapide prorsùs arenoſo formavit, ut nucleum ſuis membranulis & cortici involutum, & à reliquâ fructûs maſsâ ſeparatum, illæſo cortice inſeruerit?

Inventa ſunt æſtivo tempore in monte iſto inſecta viva, planè exotica & incognita, aranei vultûs humani trucem formam referentes, quales Ulyſſes Aldrovandus figur. XV. de inſectis ſub nomine phalangii ſive Tarantulæ deſcribit: In Tab. XXI. fundulum intueri licebit, exactiſſimè etiam quoad colorem cæteráque attributa cum Tellinulis nondum penitus petrefactis expreſſum: Domunculæ veſparum ceroſæ, non lapideæ, & alia id genus multa, quæ ibidem petrefacta, effodiuntur. An viva illa animalcula etiam ARTI accenſebis? Et cui alteri quàm maleficæ, ſi è naturalium animantium claſſe excludas?

Inveniuntur eodem in loco frequentes ſiliceâ duritie lapides, quibus fluor ſeleniticus & criſtallinus coloris lutei petricoſus inhæret, in guttas & globulos, in columellas & gyros, variis cavitatibus hiantes eundem planè in modum induratus, quo ſummâ hyeme deciduæ è tectis nivium liqueſcentium ſtillæ, aut in cryptâ ſubterraneâ Homburgi ad Mœnum ſuccus deſtillans petrificus in cuneos, vel glaciales vel ſaxeos congelatur: &, quod cauſæ naturalis opificium manifeſtiùs commendat, fluor idem quandoque in bufunculum, alibi in lacertam, ſed dimidiâ ſuî parte perfectam deſinit, ut operis incepti faſtidio correpta Natura, aut aliunde impedita deſiiſſe videatur. Atque hæc ipſa materia Iconolithorum noſtrorum plaſtica, hæc fortaſſis origo & ſemen exiſtimari poteſt. Non poſſum hîc præterire ea, quæ Cl. Helwingus *part. I. Lithograph. Angerburg. pag. 35.* refert, argumentum hoc meum non mediocriter illuſtrantia: *Reperi, inquit, in Angliâ propè Harvich, ad littus Oceani, penè ad milliaris diſtantiam, lapidum numerum ingentem, nam totum illud ſpatium, ſicut alia littora arenam, loco iſtius petrefacta corpora, parva, magna, monſtrat in maximâ quantitate & abundantiâ. Non potui differentiam,*

quam proclivis ad generandum Ancilla ſummi (Natura) ibi miniſtrat, ſatis admirari. Nam licet omnes ex luto certo pingui, quod agitatione maris rotundam iſtam, quam præferebat, figuram edidicerat, eſſent fabricati, diverſi tamen coloris, magnitudinis, conſiſtentiæ, mixturæ erant infinitæ. Aliqui duritiem perfectiſſimam acquiſiverant, & nihil erat, quod ipſos non aſſimilabat lapidibus illis, qui in plateis Londinenſibus reperiuntur, quidam autem incipiebant primùm indureſcere, & quorundam pinguedo erat tam mollis, ut digitorum veſtigia, quando imprimebantur, relinqueret. Narrat poſtmodum, quâ ratione ipſe molli huic glebæ characteres varios impreſſerit, acus infixerit, ſpatio horarum 12. tam fortiter induratas, ut ſine effracto lapide evelli non poſſent. Pergit, & ait: *Obſervavi etiam à ſiccitate ſolis & ſoli limum iſtum in quibusdam genituræ ſuæ ſpeciebus fiſſuras parvas, & in majoribus majores accepiſſe, & poſtea ſalis quandam efflorescentiam cum liquore lapideſcente mixtam locum & rimaturam expleviſſe, unde marmoris mirè variegantis ſpecies in pluribus reperiebatur.* Confer nunc hæc Lithographi expertiſſimi dicta cum iis, quæ cap. II. de Indole & plexu lapidum noſtrorum commemoravimus: dubitabis ſanè an littoris Harwicenſis potiùs, an Montis noſtri glebam deſcribere Helwingus voluerit. Inveniuntur in eo Brittannici maris littore *varia petrefacta corpora, parva, magna*, inveniuntur eadem in Monte noſtro; *Lutum pingue eſt, alicubi induratum, alibi indureſcere incipiens, alibi pinguedo mollis*, quæ omnia ſolo noſtro conveniunt. Invenit ibidem *marmoris mirè variegantis ſpeciem;* idem cum ſummo intuentium ſtupore & hîc deprehenditur, ubi politi Conchitæ & poeciloſpermi lapides detracto cortice marmor exhibent, rubei, ſubflavi, cinerei coloris, in quo venarum & macularum multicolorum locum ſubeunt, concharum, pectunculorum petrificatorum nigræ, albentes & flaventes lineæ, cæterorum marmorum ſtriatam varietatem ſuperantes. *Petrefacta* illa littoris Harwicenſis *corpora* Naturæ opera agnovit Helwingus, licet ſuâ ipſe manu artéque figuras quasdam curioſi-

rioſitatis ſtudio impreſſerit: Tu quoque è numero Naturalium effectuum petrefacta noſtra non eliminabis, licet Antagoniſtarum manus non curioſitatis, ſed cavillandi ſtudio, ſuis quædam ſimulacra ſcalpellis formaverint.

Quidſi pro vindicandis Naturæ lapidibus noſtris, in ſententiam anonymi â Büttnero in Coralliographiâ ſubterraneâ ex Cl. Spenero non ſine aculeo perſtrictam deſcendens dicerem, hanc eſſe naturam lapidum noſtrorum, ſic figuratos naſci, eſſe Lapides Sui Generis ab Authore Naturæ ſic conditos, qui non minorem lapidibus, quàm vegetabilibus & animantibus varietatem pro liberali Omnipotentiæ Effectricis fœcunditate indiderit.

Opinionis hujus piæ magis & expeditæ, quàm eruditæ & phyſiologicæ rationem aliquam peto, ex Conchitis & Pectinitis, qui tanto numero paſſim, etiam non inquirentibus occurrunt, ut ampliſſimis mœniis & palatiis exſtruendis abundantiſſimam materiam, eámque pretioſam & ſolidam, quia marmoream, ſuppeditant, quos marinis partubus, quo minùs adſcribas, obſtant doctiſſimi Langius & Luidius iis argumentis, quibus diluvianos acriter impugnant. Cornua Ammonis per Franconiam millena & millena in lapidicinis effodiuntur; ſolus ego ad ducentas elegantiſſimarum figurarum & ſpecierum diverſiſſimarum etiam ad multarum librarum pondo cum- & ſine juncturis, articulationibus, concamerationibus poſſideo, nec omnia acephala, ſed capitata, roſtrata, oculata. Nec ullus eſt, quod ſciam, legerimvè, qui tot diverſas teſtas, piſces, aut inſecta viva vel extincta, quorum formam exhibent, ſive in gyrum convoluta, ſive explicata, ex quocunque mari vel lacu extraxerit, dederitvè ſpectanda. Et, quare obſecro, inter tot cornuum Ammonis & Nautilorum millia, non in monte ſolùm Eivelſtadiano, ſed in ſingulis lapidicinis ac vineis frequentiſſimè ſe ſe offerentium, nec unicum quidem cum armaturâ cruſtæ, teſtæ, corticis aut ſquammarum & tegumentorum veſtigiis hucusque licuit reperire? Cur Pectinitæ, Pectunculi, Chamæ, cæteráque conchylium lapideſcentium ag-

mina iis nativis armaturis ſemper deſtituuntur? ſi piſces illi aut inſecta marina monſtroſa fuerunt, quo vento, quâ procellâ, ex quo Oceano in Franconiam delata, qui in cornua Ammonis undulata, ſed diverſis capitibus, ſtriis, ſulcis, tuberculis ornata, rariſſimo nec hactenus viſo prodigio indurata à me ſervantur? Quis in Conchitis arctiſſimè conclusis & effractis inſecti alicujus reliquias unquam conſpexit? Quis Pectunculitas in internâ ſuî parte naturâ ſuâ aliàs læves, tot ſtriis ſulcisq; non ſecùs ac in extimâ facie ſuâ inaravit?

Quis Lithographorum perſpicaciſſimorum Cornuum Ammonis tam diverſorum geneſin ad hanc usque diem ita dilucidè & irrefragabili calamo detexit, quin graviſſima ſuperſint argumenta, quæ eorum è diluvio univerſali originem dubiam faciant, & incertam? de tot Conchitis pelagiis & anonymis nec â *Liſtero* nec *Bonnano* deſcriptis & depictis, quorum haùd mediocrem etiam apparatum mons noſter alit, ſintnè ſinguli proſapiæ maritimæ adhuc ſub judice lis eſt. Cum conchylia illis ſimilia è maribus vel ejecta, vel ab urinatoribus extracta, nec meum nec aliorum conſpectum hucusque ſubierint, licet ſelectiſſimorum teſtaceorum utriusque etiam Indiæ aliquot millia aliquando habuerim. An non igitur dicendum foret mecum, quod ſint lapides generis & indolis ſuæ, non minus ac gemmæ, marmora, magnetes, pyritæ aliáque mundani lithophylacii prodigia & ornamenta? Quid ſi & idem de lapidibus noſtris figuræ tàm ſingularis edixeris?

Sed manum de Tabulâ. Tabellas meas Examini Virorum ſapientum ſubjicere volui, eorúmque ſententiam in re novâ & ancipiti experiri, non meam dicere; Eruditis ſcribo, in re tam controversâ erudiendus doctiſſimis reſponſis, quæ vel à typo, vel â calamo expecto. Lumen Lithographi illuſtres, ùt ſpero, affundent, argumento quàm inſolenti, tàm obſcuro: Huic faculam quoque meam ſuperaddam, & quid Wirceburgenſis Ager continuato foſſorum opere impoſterum detexerit, & quidquid penitùs ſentiam, palàm facere, & declarare non gravabor.

CAPUT

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Synopſis Tabellarum reliquarum, in primo hoc Lithographiæ Wirceburgenſis ſpecimine exhibitarum.

POſtquam hactenus de Lapidibus figuratis Agri Wirceburgenſis in genere, ac de nonnullis, licet breviter in ſpecie diſſerui, inſertis hinc inde ad fidem verbis faciendam Tabulis, ſupereſt, ut reliquas, ad promiſſum ducentorum & ultra Iconolithorum numerum complendum, conſpectui & examini Tuo ſiſtam. Id verò Te B. L. monitum præprimis velim, in ſeligendis ac diſponendis lapidibus non obſervatum â me ordinem, quem Zoologi & Lithographi per varias regnorum Naturæ claſſes, ipsáque animantia & vegetabilia in ſuas ſpecies redigenda adhibere non ingeniosè minùs, quàm eleganter conſueverunt. Ut methodum fortè non adeo perfectam probatámque tenerem, temporis brevitas, operis maturati, quandoque alternantibus munerum meorum publicorum curis ac laboribus interrupti acceleratio, &, quæ præcipua cauſa fuit, lapidum, nondum in tantâ multitudine, quâ illos hodie poſſideo, coäcervatorum paucitas, è quibus ſelectum pro arbitrio facere non licuit, ſed prout effodiebantur, in hunc, quem exhibeo, qualemcunque ordinem collocare, & pictori delineandos, chalcographo laminis inſculpendos tradere coactus ſum. Omiſſis igitur tabulis ſeptem, quas in præcedentibus paginis videndas dedi, à Tabulâ octavâ exordior.

Exhibet illa in lapidibus (qui omnes ad vivum & juxta nativam ſuam magnitudinem, exceptis pauciſſimis, imò etiam craſſitiem, quantum fieri penicillo potuit, ac

totam formam delineati ſunt) inſecta Terreſtria, Exanguia, Apoda majora & minora, nimirum Limaces, Cochleas domiportas, & Lumbricos Terreſtres.

Tabula IX. Inſecta minora terreſtria tam polypoda, quàm oligopoda, non alata, ut Formicas, Forbicines, Scolopendras terreſtres &c.

Tabula X. Inſecta minora terreſtria, aptera, ſive alis carentia, & oligopoda, nempe Araneorum diverſas ſpecies, cum & ſine telis.

Tabula XI. Inſecta minora aptera, ſed polypoda, Erucarum ſcilicet multiplices figuras.

Tabula XII. Animalcula ſive inſecta majora pedata non caudata, tam terreſtria, quàm amphibya, Bufones terreſtres, Ranunculum viridem, Bufones aquaticos & Ranas paluſtres.

Tabula XIII. Animalcula ſive inſecta majora terreſtria pedata & caudata, Lacertas, intérque eas unam bicipitem, Salamandram.

Tabula XIV. Inſectorum analytrorum, nudis & detectis alis volantium, Muſcarum, Apum, Crabronum, Libellarum, Veſparum varias ſpecies.

Tabula XV. Similium inſectorum alatorum Papilionum videlicet diverſas ſpecies.

Tabula XVI. Ejusdem claſſis Perlas, Libellas, aliásque peregrinas & planè exoticas.

Tabula XVII. Inſectorum alatorum, & à potiori Coleopterorum, ſive alis opertis præditorum, Locuſtarum nimirùm & Gryllorum ſeriem.

Tabula XVIII. Inſecta alata vaginipennia ſive coleoptera, Scarabæos, Cantharides, Cervos volantes.

Tabula XIX. Inſecta tam terreſtria pedata & caudata, quàm animalcula aquatica exanguia, cruſtracea, pedata & caudata, ut Scorpiones, Aſtacos, ſive Cancros fluviatiles, Squillas &c.

Tabula XX. Animalcula marina cruſtacea rotunda & pedata, ùt Cancros marinos, Paguros, Oeſtros marinos.

Tabula

Tabula XXI. Varios piſciculos tam fluviatiles, quàm marinos, eósque monſtroſos, Fundulum præprimis cum Tellinulis nondum penitùs petrefactis repræſentat.

Atque hæ ſunt Lithographiæ Wirceburgenſis Primitiæ, quas, ut ederem, & Patriæ illuſtrandæ, & ſtudii nobiliſſimi amor me incitârunt. Fateor, retraxi ſæpè manum ab opere cepto, abſtractus & officiorum meorum diurnis nocturníſque laboribus fatigatus, qui neceſſarium lucubrationi in Patriâ novæ, ab exteris moroſo examine diſcutiendæ otium vix indulſerunt. Acceſſit inconſulta & importuna Duumvirûm non contradicendi, quod Viris Litteratis de re obſcurâ diſputantibus in votis eſt, ſed conatus meos inſulſis dicteriis evertendi prurigo, quorum alter extrà chorum & ordinem ſaltans, falcem alter meſſi alienæ immittens, Diſſertationem de rebus non ſuis, nec ſtudia, doctrinam aut negotiationes eorum concernentibus, ſed unicè meam, & phyſicam, innoxiam prorsùs nulli non modò non moleſtam, ſed ob Argumenti in Franconiâ detecti novitatem deſideratam, & meis ſumptibus procuratam, in progreſſu retardâſſent, niſi devicto, quod ingerere moliebantur, laboris tædio id ſæpè volviſſem animo:

Tu nec cede malis, ſed contra audentior ito.

Non ceſſi, ut impoſita primo ſpecimini coronis demonſtrat. Nec porrò cedam, æquè promptus ad aſſerendam cauſæ æquiſſimæ veritatem, ac paratus fui ad Lithophylacium hoc Franconiæ novum Orbi demonſtrandum.

Viris verò Litterarum & ſcientiarum politiorum ac reconditarum Cultoribus & Patronis libens ſummâ, quâ omnes colo, obſervantiâ, me, calamúmque meum ſubmitto: Illorum judiciis, ſi ſenſis, ſi rationibus meis præponderaverint, palmam concedam, acquieſcam. Sin veriora occurrent mihi, in ſecuturo forſan Lithographiæ Wirceburgenſis ſpecimine, majore Iconolithorum apparatu,

ratu, meliore ordine digeſto, novíſque iíſque rariſſimis exoticorum figuratorum lapidibus inſtructo eâ moderatione, quæ Chriſtianis Philoſophis, imò Ethnicis benè moratis in uſu & pretio fuit, exponam, ut Diſſertatio tùm prima, tùm altera amica ſit, ſine felle & Alöe inquiſitio veritatis.

Admonitio ad Bibliopegum.

Tabula I.	inſeratur	ad pag. 39.
II.	- - -	ad pag. 42.
III.	- - -	ad pag. 49.
IV.	- - -	ad pag. 54.
V.	- - -	ad pag. 58.
VI.	- - -	ad pag. 63.
VII.	- - -	ad pag. 65.

Reliquæ ab VIII. usque ad XXI. incluſivè juxta ordinem numerorum ſuorum conſequenter ponantur ad pag. 96.



EDIDIT INUMERAS SPECIES PARTIMQUE FIGURAS
REDDIDIT ANTIQUAS, PARTIM NOVA MONSTRA CREAVIT. Ovid. L. 1 Metam.
Puſchner ſc.

TAB. I.







TAB. II.






TAB. III.





TAB. IV.




TAB: V.






TAB. VII.





TAB: VIII.




TAB.IX.






TAB XI.





TAB. XII.







TAB. XIV.






TAB XVI.






TAB. XVII.







TAB. XVIII.



TAB. XIX.



TAB. XX.









Jnsel Sardinien
Gallura
Logudori
Arborea
Maddalena
I. Cabrera
I. Asinara
Vorgeb: Asinara
Terranuova
Sassari
Alghero
Bosa
Oristano
C. Cavallo
Das eigentliche Savoyen
Herzogthum Genevese
Faucigny
Freyherrschaft
Herzogthum Ciablese
Grafschaft Moriana
Tarantaise
Der Genfer See
Genf
Annecy
Chambery
Grenoble
Aix
Seissel
Belley
Thonon
Evian
Lausanne
Morges
Briancon
Embrun
Barcellonetta
Aigues belles
Conflans
Moutier en Tarantaise
S. Jean de Moriana
Divonne
S. Claude
Rhone
Westen

SMITHSONIAN INSTITUTION LIBRARIES
3 9088 01058 5917